K. 18. 218

Gedeonis Harvei, M. D.
Medici Regis ad *Turrim*,

ARS CURANDI Morbos Expectatione;

ITEM

De Vanitatibus, Dolis, & Mendaciis Medicorum.

Accedunt his præcipuè Supposita, & Phænomena, quibus veterum recentiorumque Dogmata de Febribus, Tussi, Phthisi, Asthmate, Apoplexia, Calculo renum & vesicæ, Ischuria, & Passione hysterica convelluntur; aliaq; verisimiliora traduntur.

Multi magni morbi curantur abstinentia & quiete. Cels.

LONDINI,
Impensis *Guil. Freeman*, ad Insigne Bibliorum exadversum *Medii Templi* Portam, in vico dicto *Fleet-Street*, 1696.

276:11

Sereniſſimo Principi Domino

Frederico Guilielmo

Marchioni Brandeburgenſi,

Sacri Romani Imperii Archicamerario & Principi Electori, Magdeburgi, Pruſſiæ, Juliæ, Cliviæ & Montium, Stetini, Pomeraniæ, Caſſubiorum, Vandalorumque, nec non in Sileſia, Croſnæ, & Carnoviæ duci; Burgravio Norimbergenſi, Principi Halberſtadii, Mindæ, & Caminæ; comiti Marcæ, & Ravensbergi, &c.

Literarum Mecœnati ſummo
Tentamina hæc medica
Humillime D. D. D.
G. HARVEY.

Argumenta Capitum.

CAP. I.

Descriptionem Artis Expectationis continens, Pagina 1

CAP. II.

De Medicorum modernorum Sectis diversis, p. 7

CAP. III.

De ferreis sive veterinariis Doctoribus, ac secundis infaustisque chalybis effectibus. p. 11

CAP. IV.

Ulteriorem enumerationem è chalybe fluentium malorum, una cum eminentissimo casu suppositio, viz. R. C. 2. p. 18

CAP. V.

De Chalybis Sulphure, & hujus præcellenti succenturiato. p. 33

CAP. VI.

De Asino-doctoribus, horumque lactis diæta, tussi, tabe, & hecticâ febre: itemque de Lanio-doctoribus. p. 37

CAP. VII.

De Doctoribus Aquariis, renum arenulis & calculo, variisque aliis morbis. p. 46

CAP. VIII.

De erroribus circa calculum, & particulariter de Cathæteris abusu; item de stranguria & urinæ difficultate. p. 57

CAP.

CAP. IX.
De Lanio Doctoribus & eorum phlebotomia. p 64
CAP. X.
Expectationis medicorum promptuarium exponens. p. 67
CAP. XI.
Primordium, & medicamentarii promptuarii primitivam fabricam evolvens. p. 72
CAP. XII.
Medicæ coquinæ gustatum exhibens. p. 77
CAP. XIII.
Recensens miram in pauperes medicorum benevolentiam. p. 82
CAP. XIV.
Dolosi cujusdam medici exemplum insigne exhibens, simulque innuens plures artem medicam profitentium ejusdem esse farinæ p. 88
CAP. XV.
De tutis & assertis modis, prioribus analogis, venenis interficiendi, & struendi. p. 103
CAP. XVI.
Præcedentibus discursibus variis interlocutionibus, tui eidem subjecto nimis intenti animi divertendi causa, interpositis, ad ingentis aquarum simplicium numeri futilitatem examinandum accedo, quæ ex sequela instrumentulorum vicem nihil efficiendi agunt, & ea de re tanquam media propria ab Arte Expectationis instituuntur. p. 106
CAP.

CAP. XVII.
De Aceti medicati vario genere, & vinis, nec non de vinis Emeticis. p. 116
CAP. XVIII.
De Syrupis medicinalibus, & Conservis. p. 122
CAP. XIX.
De pulverum compositorum in Dispensatoriis signatorum vanitate. p. 130
CAP. XX.
Depromens perversanos, hebetes & absurdos errores in Theriaca Andromachi, & Mithridatii compositionibus, aliorumque medicamentorum narcoticorum. p. 137
CAP. XXI.
Rescita complectens de Pilularum in Dispensatoriis errabundis & absurdis compositionibus. p. 151.
CAP. XXII.
Quod methodo medendi innitendo, ingens inde exurgat artis medicæ in elatiorem gradum promovendæ obstaculum, plurimi attestantur exemplis perquam insignibus. p. 164.
CAP. XXIII.
Exhibens Artis Expectationis partem predictam, & ejusdem Methodum medendi. p. 173
CAP. XXIV.
De usu & abusu Coll—ii medicorum. p. 196
CAP. XXV.
De medicarum consultationum ineptis. p. 213

CAP.

CAP. XXVI.
Quod remediis Veris & certis ignoratis, methodus medendi nihili pendenda sit, quodque vires à priscis & recentioribus medicis simplicibus & compositis medicamentis ascriptæ, generatim fere falsæ, & dolosæ sint. p. 228
CAP. XXVII.
De Tabe, phthisi, tussi purulenta, & febre hectica. p. 251
CAP. XXVIII.
De fermentatione, & Ebullitione, earumque differentia; itemque de Febribus paucula. p. 272.
CAP. XXIX.
De Succo Lymphatico, & glanduloso, item de ratione paroxysmorum febrium intermittentium. p 293
CAP. XXX.
De Spiritibus Naturalibus, Vitalibus, Animalibus, & Glanduliosis. p. 315
CAP. XXXI.
De Asthmate. p. 327
CAP. XXXIII.
De Apoplexia Medicorum nonnullorum è nostris famosissimorum, potius dixerim, Medicinæ præscriptorum. p. 334
CAP. XXXIII.
De Lithiasi deceptiva *seu falsa.* p. 342

ARS

ARS CURANDI Morbos Expectatione;

ITEM

De Vanitatibus, Mendaciis, & Dolis Medicis.

CAP. I.

Descriptionem Artis Expectationis continens.

VEnerabilis Antiquitas si valorem imponendi sit capax, quod Ars Expectationis eandem ac Medica Ars sibi vendicans ætatem, in æstimationis æquilibrio statuenda sit, censere licitum. Synonyma in non paucis casibus prædicantur, quibus morbi curatio medicinæ Arti

afferitur, quæ reverà tamen ab Expectationis arte peracta fuit; dum remedia, quæ prioris instrumenta fuere, paucis vel nullis virtutibus pollebant, atque è consequenti fallaciam potius moliebantur; at Tempus, Dilationes, & nihil agere principalia posterioris sunt media. Hinc facili negotio concipi potest, quid morbos Expectatione curare sibi velit; scilicet, applicare remedia, quæ non multum mali, & paucius boni afferunt, à quibus patiens opem ac emolumentum de die in diem frustra expectans, tandem procrastinatur in tantum longitudinis, quantum in morbi curationem ex parte vel in totum Naturæ & Tempori sufficiat; quam nihilominus subtiliter, astutè, & officiosè ut plurimum sibi assumit medicus, prosperis avibus innuens, pro vita & convalescentia, Doctoris experientiæ, judicio, methodo, & remediis debitorem esse patientem; atque in hoc puncto hominum sapientissimi semi-stultos agunt, ipsorum vitam concredendo, ac obsequium præstando medi-

medicorum turbæ, de quibus, nec illorum arte judicium minime sanum proferre valent, dummodo internam faciem personarum medicorum, vel artis quam profitentur vanitates nullatenus perspectas habeant.

2. Te ipsum febri intermittente, catarrho, stomachi ægritudine, viginti aliisve morbis liberatum supponas, bis terve per diem, horis medicis, ad dies decem consequentes, pulveris tubulorum ad Nicotianæ fumum quinque granorum pondere sumendo (qui forsitan à medico doctissimo & honesto putato pro margaritarum *magisterio* vendetabitur) vel deglutiendo eâdem medicinali methodo grana quinque terræ vitrioli damnatæ, vel pulveris testæ terreæ probè exustulatæ. Sex vel octo aureis tibi constitisse nummis veri simile. Jam tutò, certò, & jucundè tibi sanitas redintegrata est, atque omnia benè. Quantoquantò divitiis affluens vel sapientia conspicuus puteris, an non stultitiæ ultra stupiditatem proprio tuo judicio reus habebe-

ris, de medicum casu præmisso fidei commissarium constituendo, atque suppositæ ipsius medicationi concredendo, quæ haud alia, quam quæ ab Expectationis arte fuit præstita, modo insequenti? Primam ne ullum tibi emolumentum attulisse dosin concipiebas, libenter quamvis assensui propitius, quod quantuscunque sanitatem versus sit progressus, sensui imperceptus fuerit; idcirco quatuor vel quinque dies ad sensibilem morbi diminutionem expectandam te paratum præbuisti, & sic de die in diem, quousque tandem reverà à carnibus & potibus generosioribus tua abstinentia tempus & copiam humores istos morbificos digerendi, separandi, & expellendi spiritibus tuis elargita fuerit.

3. Rem ita se habere in tenuioris fortunæ hominibus propalam est, quorum angustâ conditione doctoribus vel pharmacopæis se applicandi ipsis viam præcludente, jejuniis & sibi ab aëris injuriis cavendo, à levioribus morbis liberantur, qui vi naturæ & *Expectationis Arte*

Arte curari poſſunt pari temporis paſſu, quo ditioribus recuperandis doctores incedere ſolent. Quantum ad morbos magnos, quibus abigendis vera methodus & potientia remedia neceſſario requiruntur, plures obitus cauſam potius quam putativæ convaleſcentiæ gratias medicis debent, uti ampliſſimè & fideliter libello, cui *Medicorum Conclave* titulus apponitur, exhibui. Expectationis Arti interim famæ & nominis gratias debent, quod inſipiens vulgus fato quaſi coercente ad tales homunciones perducit. Obiter ſis monitus, præcedente paragrapho pulveris è tubulis ad Nicotianam, & terreis vaſis confecti ſuppoſitionem tradidi; at impræſentiarum ſerio aſſeró, quod non ſit ſuppoſitum merè ſupponendum, ſed nebulosè à quibuſdam medicis in uſum & praxin fuerint redacti ejuſmodi pulveres, ſucceſſu haud inferiore eo, qui margaritarum *magiſterio*, vel Auro diaphoretico comitari videtur.

4. Quantum ad iſta particularia, quibus Expectationis Artis exercitii inſtantias

ſtantias adducam, quamvis non ſint pulverum è teſtis terreis, ſunt tamen ex egregie analogis. Sub finem, ſi univerſalior Ars Expectationis non eſſet Medicina, unde fit, quod illiteratorum furfur, nempe fabri ferrarii, ſutores, prædones è carceribus manumiſſi, Pharmacopœorum & Chirurgorum nonnulli, celebriores longè & numero plures perfecerint curationes, quam ex medicis præcipui, niſi in Arte Expectationis ſint pariter verſati? Hi Expectationis medici pro tuto agentibus, & bonis infantium Doctoribus habentur, atque à quibuſdam ſapientibus mulierculis non flocci æſtimati. Sunt etenim tales, qui in gravioribus morbis omiſſione trucidant, & leviores morbos curare videntur, aliquid agendo nullius momenti.

CAP.

CAP. II.

De Medicorum modernorum Sectis diversis.

1. A Subjectis plures manuariæ artes distinctionem mutuari decernuntur; ab ære faber ærarius; à ferro ferrarius faber sive veterinarius; & à medicina medicus; ac à contractione omnium trium propria valdè nomenclatura toti cohorti *Conclavium* doctorum adaptari potest, viz. *Ærario-ferreo-medicus.* Universali huic distinctioni magis *specifica* sub-distinctio à particulari materiâ, circa quam operantur, adjicienda necessaria est. Se omnino ferro vel chalybi, & *chalybeato* syrupo quidam dicantes, illius vires omnibus fere morbis opponere moliuntur, & justè titulum ferreo-doctorum, vel veterinariorum demerentur. Diætam lacteam, sive lac asininum omnibus patientibus quosdam applicantes, *Asinariorum Doctorum* nomine insignire

fas est. E tertiâ specie non pauci se *Chin-chinæ* sive Cortici Peruviano, Patrum vel Jesuitarum pulveri addicentes, *Jesuiticos* se *Doctores* nuncupari malunt, à capite ad calcem defraudantes. Quarta medicastrorum species perrarò ad aquas *minerales* ægros abdicare prætermittunt, quasi *Aquariorum medicorum* notâ gauderent. Phlebotomiam per omnes casus declinant nonnulli, & in omnibus casibus celebrandam ferè proferunt, quos *Lanios Doctores* appellare æquum est. Postremi qui majore numero illustres sunt, omnes ægritudines per anum expellendas asserunt, atque hi sunt *Stercorarii Doctores*. Hic autem Ars Medica ad instar monstri sex pedibus incedere videtur, unusquisque quamvis medicus uni tantum innitatur, attamen non tam firmiter, quin à singulis levioribus malis vacillare cogatur; ac difficilis morbus eum in terram projicit, unde minimo labore se gesticulatoris instar subitò erigit, & uno denuo exiliens pede, alas suas concutit,

&

& ſe morbi victorem crocitat, uſurpato quamvis titulo.

2. In communis cauſæ bonum debacchati hi medici (quamvis differentibus praxeos methodis) uno cantu conſortium reſonant, quod ſedulis in Anatomia patefactionibus (Circulationis, lacteorum vaſorum, lymphaticorum ductuum, liquoris Nervoſi, ſucci nutritii, & Pancreatici, fermentorum in faucibus, ventriculo, hepate, corde, cerebro, liene, renibus, & in ſingulis partibus ad minimum pedis digitum uſque, centum præter minutula particularia uſus haud majoris, quam Lunæ macularum theoria) tantopere præcelluerunt antiquos omnes, ut artem ſuam ad ſummam apicem vel ἀκμὴν exaltarint, quæ antea vix embryonis formam adepta fuerat; atque omnia iſta proferuntur, tui incantandi ergo in firmam capacitatum ipſorum fidem, ad eſcandum, & alliciendum te in retia ſua medica. Ac ſi vera proferam, vix mille paſſibus attingunt candorem, honeſtatem, modeſtiam, doctrinam,

ctrinam, & induſtriam antiquorum, quibus circa morborum & remediorum obſervationem fungebantur, quæ talis erat, ut comperirentur, quod abſtinentia, & quietis conceſſio, (i. e. nihil agendo, & naturæ ſpectatores ſe præbendo) plures curaverint morbos, quam variæ ipſorum medicinis naturam torquendi & interrumpendi rationes; quam regulam ſæpiſſimè tibi ab Hippocrate, Galeno, & Celſo per omnia ipſorum opera ſparſam præceptamque reperies; adeo ut ubicunque moderni periclitatores unicum ſibi aſſumunt curare morbum, iſti naturam ſpectando curaverint centum, quod reverâ nihil aliud erat, quam agere artem curandi morbos Expectatione.

CAP.

CAP. III.

De ferreis ſive veterinariis Doctoribus, ac ſecundis infauſtiſque chalybis effectibus.

1. FRontis ordine à vulgatis opinionibus frui ſinuntur Veterinarii Doctores, & ferri in aurum tranſmutatio nullibi magis apparet, quam in ipſorum è chalybe medicinarum converſione in aurea ſoſtra. A variis ferri principiis (pro ſubjectorum diſpoſitione, quibus in corpore hæc occurrunt, operantis) eruti effectus tam crebrò funeſti & perniciales audiuntur, quam proſperi & auſpicati. Validè *abſterſivum* & *diureticum* diſpicitur quiddam in chalybis ſulphure, ubicunque acidum in humoribus obvium habet, ad ipſum in pugnam provocandum habile; alias cum ſale *vitriolico* in unum coit, & utrumque in cæmentum vertitur, quod obſtructionibus majorem tribuens firmitatem, frequenter

quenter vaſa totaliter conſtipat. Vix ullum proferre caſum licet, quo uberiori fructu & emolumento Judicium & Experientia magnum quid præſtare videntur, quam idoneis conſtitutionibus hoc aptando *minerale*. Necandi potius id partes agere, quam curandi increpant nonnulli, attamen ad electionem uſus juſtam ſi collimaveris, verè mirandam abſolvere valebis curam; at ſi hallucineris, eventus deplorandus erit. Numero plures prioris generis inſtantiæ, quam poſterioris ubique ferè recenſentur.

Tribus vel quatuor (ni me fallat memoria) ſanguinis detractionibus copioſis; quarum Lanius quidam Doctor equiti R. Bovio à quartana intermittente cubiculo affixo autor erat, atque totidem catharticis medicamentis (quorum imbecillius ad minus quadraginta vel quinquaginta movebat ſedes) à mox ſubſequente *Stercorario Doctore* præſcriptis, in ſingulas hydropis ſpecies præceps fuit patiens, abſque tamen quartanæ expulſione, uſu (*chinæ*

chinæ pulveris per omnes formas & pondera non obſtante. Corporis univerſi monſtroſam magis œdematoſam extuberationem vix poſſibile erat offendere; abdomine ab aqua & flatibus præcipuè in tantam molem provecto, ut ſufflatio eum à ſubmerſione in ullo flumine liberum detinere potuerit. Ætatis ratione depontanis erat major, deficiebat appetitus, ac vires fractæ omnibus reſpondebant circumſtantiis. Quibus tota medicinalium virorum cohors conſiſa eſt, & hactenus præſidit catharticis remediis, hæc cedebant morbo, quem iſti pepererant. Paracenteſis ſanè in hoc morbo ultimum clauſiſſet diem.

Variè cum *diureticis* & abſtergentibus miſtorum *chalybeatorum* ope ad priſtinam corporis dimenſionem paucis fuit reductus ſeptimanis, quæ tenuis & coraginoſa erat, vires ſimul cum appetitu & eupepſia reduces. Præter pedum tumorem nihil aderat contra naturam, qui tamen multùm ſubductus, fotu tandem lixivio diſcuſ-

ſus

ſus fuit. *Seroſitatum* onus indies copioſis urinæ profluviis, & perſpirationibus inſenſilibus levatum obſervabam. Principio febris intermittentis curatio maximum mihi faceſſebat negotium, quæ tamen pulvere ſatis in uſu fuit peracta. Quod præſtanter exequi pollebat chalybs, omni in parte abſolvebat, particulis ſulphureis virtutibus *abſterſivis* & *diureticis* pares dimetantibus paſſus, atque *ſalinis* corroborando & reſtringendo, quo priſtinum recuperârunt viſcera robur, texturamque compactam, nec non humores ſubſtantiæ, temperamenti, & fluidi mediocritatem attigerunt. At centenis caſibus retrogradi chalybs deprehenditur, ejus aptè corporibus & morbis applicandi inſcitiæ cauſa.

3. Paucis præterlapſis annis, matrona nobilis gnatam *Redingæ* Londinum conduxerat, cui ſe comitem junxit Doctor ejus ordinarius, qui autorum & aliorum medicinalium ſuorum ſociorum recenſione *chalybeum* curſum aſſerere nitebatur, hujus ope menſtruis

ipſius

ipsius provocandis incumbendo, quorum delitescentiæ justis temporibus & vicibus, cachexiæ & palliduli coloris, ipsius complexioni & vultus nitori vim inferentium, rationem annuebat. Hebdomadibus tribus, vel mense methodus illa in suppetias adducta, appetitum ejus penitus contriverat, illamque in febrim hecticam & tussim importunam adeo, ut vix spirandi vel loquendi veniam concederet, prostraverat.

4. Ejus humorum sales *vitriolicis* chalybis salibus agglutinati, laxandi & solvendi hujus particulas impotentes, pariter vi unitâ constringendo, exsiccando, & obstipando humores impetunt, qui *regurgitatione* in pulmones & viscera impingebantur; his autem tanto ferruminandi remedio præfocatis, quid hic agendum? Sanè præter prognosticum paucis diebus patientis vitæ simul ac è chalybe cursui periodum apponendam portendens, certius nihil excogitare potui. Ferreus hic Doctor in asinarium delabi doctorem gestiens, ægrotam lacti asinino vovit, eamque

in

in pagum duobus Londino lapidibus distantem aëris liberi gratia amandavit, ubi septimanâ spatio breviori de ipsa conclamatum fuit.

5. Mercatoris Londinensis alterum memini casum, cujus chronicam tussim annos duodecim vel quatuordecim ipsi comitem curare opinans ferrarius medicus, ei chalybis solutionem ad triginta vel plures dies obtrudebat, quæ quidem tussim magnopere subduxerat, ita tamen ut illum in tantam conjecerit raucedinem, quem vix mus loquentem exaudire potuerit ad ulnæ distantiam, præter appetitus & virium defectionem. Ut veterinario & ipsius chalybi valediceret, patienti autor eram, nisi pulmones infarciri, & respirationem occludi cuperet. Longo opere tussim antiquam recuperavit, quam cum multos annos familiarem habuerit, curare nefas erat ultra medelam mangonicam ceu (uti vulgo vocant) *palliativam*, & si forsitan recenti defluxu in deteriorem vergat, præter leniens pectori ascriptum medicamentum nullum concedere

cedere licet, tussi antiquâ antliorum vel *fontanellæ* officio fungente, simul cum pulmonum superfluitatibus totius massæ cruditates exturbante, quarum detentio alias sufflatura & suffocatura esset pulmonicos hosce folles.

Inde emicat veritas, uti jure *pectoralia* quædam pulmonum vita pronunciantur, quod chalybs, & *chalybeata* medicamenta omnia eis in venena facessant, asperitate & astringendi facultatibus (quas gradu superlativo continent) temporis progressu coarctantibus, & contrahentibus machinam pneumaticam ad totalem suppressionem usque.

Paragrapho præmisso hæc observatio naturaliter eruitur, ubi *hæreditariè*, vel *adventitiè* fuliginosum & uliginosum inspirando aërem redduntur pulmones asthmatici; è chalybe petita remedia, forma sive sicca sive humida, uti aquæ ferro-*minerales*, & chalybis syrupus, torvo & suspicace oculo aspicienda omnia, neque unquam in usum arcessenda, nisi præcipuum indicans sit necessitas extrema.

CAP.

CAP. IV.

Ulteriorem enumerationem è chalybe fluentium malorum, una cum eminentissimo casu suppositio, viz. R. C. 2.

1. VIrum fœminamve hypochondriaco in liene quovis malo infestatum supponere si libet, vel viscerum inveteratam emphraxin; uterque facilè quibusdam in locis in tussim labens, atque pulmonibus ad quantillum gradum languidus, è chalybe medicamento exhibito (ubi acidum in corpore divellendi à sale sulphur fuerit incapax) non exiguum periculum in pulmones humores pituitosos propulsandi subit, qui temporis interventu coagulando in asthma, pulmonum ulcerosam dispositionem, & phthisin apparenter, nec non febrim hecticam sunt tenturi; vel si forsan in sublime humores non ferantur, in immedicabiles obstructiones & pertinacissimas infarctiones compingentur. Ubi ejusmodi

modi medicamenta cum juventute congreſſum tentant, ætatis vigor illorum aſperitatem & mala inde minitabunda ſubjugabit, quæ crebrò protinus poſt *chalybeata* aſſumpta, vel paucorum annorum interventu, quadragenarios & annis provectiores inſequuntur, & facilè è chalybis matrice detegi poſſunt. Neque tali phaſi deturpatorum caſuum elenchum, quem lecturæ tuæ exhibere poſſem, à me efflagitare tibi licet, niſi tractatum ſexies prolixiorem pervolvendi longanimitate munitus fueris. Neque abſque mentis tetano contemplari valeo, quam voraciter è chalybe ſyrupus in civitate Albionenſi deglutiatur, à pſeudo-famoſi cujuſdam veterinarii Doctoris (jam è vivis) patientibus, qui hoc fallente remedio quam primum ab imperatâ galacte-diæta Aſino-doctorem agebat: adeo ut vix proferre queam, an propriè dicendus Veterinarius ſuper Aſinum, an Aſinus ſuper veterinarium.

2. Procul omni contingenti, chalybis ſulphur *ſalinis* particulis penitus exutum

exutum (cujus proceſſus hactenus abditus) nec non facultatibus reſtringentibus emancipatum (quæ tamen in plurimis præparationibus id ipſum plus minus conſectantur) mirandè validum *deobſtruens* pronaſcitur; neque unquam in ullum præſuppoſito proceſſui vicinum præter unicum incidere contigit, qui chalybis ſulphur *alembicum* tranſadigens ſolubile reddit. Similis procedendi modus in Antimonio, pauciſque mineralibus pares effectus exerit, quem ut ad Artem Expectationis non pertinentem hic loci deſcribere alienum.

3. Non tantum in viſcera, verùm etiam in cerebrum & nervos immedicabiles noxas fundit protractus, & crebrò revocatus chalybis curſus. Paralyſes, ſpaſmos, & ſumme effractas vires ultra ſemel illius aſſeclas animadverti, quorum effectuum pariendorum modum neutiquam explicatius ſolvere ſufficio, quam quod chalybs fluores degeneres in reconditis latebris compingat & conglutinet, in quibus durabiliter

biliter hi ſtagnantes, forſan in menſes, & interdum in annos, fermentum tam perniciabile aſciſcunt, ut animalem œconomiam deturpent & proſternant, integrum canaliculorum & ductuum ſyſtema à cerebro emanantium infirmantes, & virus in nervorum ſuccos vibrantes, quo more & paribus mediis chalybs cortici *Chin-chinæ* (*Peruviano* & *Jeſuitico* apud nos vocato) nullatenus abſimilis eſt, qui (ſc. cortex) poſt annorum aliquot interlapſum tam crebro ſpaſmos & ſyncopas progeminavit, tametſi nullibi prorſus proxyſmos Apoplecticos, tali cognomine à quibuſdam apud noſtrates medicis pſeudo-famoſis & bardis indito : Paroxyſmi ſiquidem typi, circuituſque principii, terminationis & regreſſus notis inſigniuntur, quibus nunquam Apoplexia circinatur. Utpote Apoplexia eſt vel fortis, quæ ſecundum Hippocratem, & cæteros inde peritos medicos, potiſſimum jugulat ; vel levis, plerumque in paralyſin tranſmigrans. Videſis *Hipp. Aphor. lib.* 2. *Aph.* 42.

4. Lectori

4. Lectori ut Pseudo-medicorum, famosissimorum licet, stupiditas innotescat, recensionem suppositæ præ omnibus eminentissimi patientis (aliis terminis utique proferre non licet) medelæ jam exhibeo. Duodenorum circiter fasciculum ejusdem farinæ medicorum mente concipias, patientis medicationi inhiantium, Syncopes vel Leipothymiæ insultibus varie & diversimodè recurrentibus, convulsionibus violentis (vel si libet) reciproce paroxysmis spasmodicis interspersis, qui periodici interdum evadunt, torti. Symptomata hæc singulis fere sunt perspecta, quæ, & qualia sint; ab illis Apoplexiæ paroxysmorum nomine denotata (denominatio qualis nusquam ab orbe condito hactenus recensita ab ullo Authore) vel crassæ minervæ homunciones designant (uti liquet ex eo, quod de Apoplexia prælibatum est) vel siniſtrè admodum ab eis collimatum, si non à totâ cohorte, à Babylonicis saltem ductoribus, quos cæteri largo præmio allecti leviter insequuntur, vel hujus

jus gratiâ ne à prioribus officio tam aſpectabili exculcentur. Veri ſimile ſiquidem univerſo choro ſimul non adventante, quod primus appellens ſymptomatis plus quam horrendi intuitu perterritus, vel peritiæ inopiâ, vel temporis anguſtiâ caſus explorationem ei præcludente, in Apoplexiæ falſo denominatæ errorem prolapſus fuerit, atque properanter nimis phlebotomiam imperaverit, ut amplior ſanguinis motui concedatur in vaſis locus, & ex conſequenti ut ſtagnationi & coagulationi obviam eat. Impræſentiarum quærendum, viro vel fœminâ in leipothymiam, vel leipopſychiam prolabente, an ex quingentis vix uni ſerio cogitabundo medico tantum animi vel tantillum ſenſus affuerit, ut venam tundendam tentaturus ſit? num unquam quiſpiam in arte medica probatus magiſter phlebotomiam tanquam remedium huic caſui ſymmetrum protulit? Quod plethora adeſſe poſſit, ſi replices; nihilominus vix inter mille unus in paroxyſmo celebrandæ aſſenſumpræbebit.

5. Ne

5. Ne præfato suppositio moram traham, Probè mihi notum, medicum, ut se erroris, vel fallacis remedii applicationis censurâ eximet, in absolutione sua desudabit, in singulos nuper accitos medicos sententiam suam à primo congressu inculcando & strenuè *immalleando*; qui vel ex mero complacendi animo, vel deceptâ casus ipsis enarrati conceptione, vel falsâ rei relatione, vel propria ignorantiâ & imperitiâ allecti, vel in eandem opinionem prolapsi, primo advocatum medicum, & se ipsos, & se invicem singulos & conjunctos justificare, & omnium sententiam, falsissimam licet, asserere tenentur: Porro à primâ rei apparentiâ occæcati, nec audent, nec volunt perspicuè eam intueri, ne astantes eos hallucinationis incusent. Morbus dum primo Apoplexiæ nomine dotatus fuerit, verbo isti strictè adhærere obligantur; at properanter recedente, & cum spasmorum intermutatione recurrente, liquido satis ipsis constabat Apoplexiam non esse; atqui ut errori parcerent, necesse

necesse arbitrabantur, ut primæ notioni se affigant, & subdolè in Apoplexiæ nomen eam commutent; unde eò impudentiæ perventum, quæ nisi sibi ipsis, per-paucis familiaris est. Quasi aggeribus *Conclavis* ipsorum Ars Medica & totius orbis Medici circumscribantur; licet quam minimè in arte versatus levissimo lucis radio errorem detegere valeat, crassum ultra quàm à nutricibus & merè in Medicina novitiis promanare potuerit.

6. Plus decies viros aliàs perrobustos in profunda animi deliquia lapsos animadverti, mortis imaginem ad longum tempus insimulantes, qui tamen temporum frictionibus, narium vellicationibus, artuum doloros contorsionibus, & valida in fauces alexipharmaca fundendo, ex isto paroxysmo crebrò sunt erepti; quamvis brevi post temporis curriculo materiæ subtilis in cerebrum & nervos metastasi orta deinceps *spasmode* paroxysmo torti sint, ad moram non longiorem, quam præfatæ

discutiendæ materiæ à volatilibus neuriticis sive cephalicis sufficiebat.

Horum alternorum paroxysmorum species durationis ergo, per plures annos, forsitan septem, decem, vel viginti plus minus non multum imminentis periculi portendunt, intempestivis nisi moliantur curationem venæ sectionibus, & frequenter geminatis purgationibus, limum fæcesve humorum delitescentium conturbando, quas vel diutinus ferreus vel *Peruvianus* cursus obtumulavit, & ferruminavit.

7. Præter præcitatas causas, quæ frequentiores existunt, ultra dubitandi aleam est, quod non absimiles paroxysmi tam geminatis debacchationibus, & inveteratis obstructionibus (quibus humores virus assumant) quam venenatis *mineralibus* & vegetabilibus ortum & accretionem debent, quæ facultates breviore temporis dimensione exerunt.

8. In supra citato patiente prior sanguinis ductio justæ non inculpata censuræ,

ſuræ, erroris quidem urget remiſſionem, morbi decepti poſſibilitatis cauſa, vel inopinati conceptus ergo, atque argumenti allati vi, quod cruoris miſſio in vaſis ſpatia ampliando, & *circulationem* accelerando ſanguini ſtagnanti occurrat. Atqui indicationi, priore copioſiori ſanguinis fuſione, vel priore & ſecundâ mediocri *depletione*, ſatisfacto, cui fini vel propoſito in præallato patiente ſecunda, tertia, quarta, & quinta (quarum una vel altera jugularis, quæ nunquam ſine gravi diſcrimine celebratur) imperantur diffusâ menſura, & nonnulla in ſyncopes paraxyſmo? à re facta deſumitur argumentum ad hominem, ſanguinis miſſio licet tantùm *præcautionis* ergo in ſubjectis robuſtis & ſanis inſtituatur, ſanguinis fluxu inhibito non rarò mox eos in durabilia & profunda animi deliquia proſternit, unde nonnulli quod nunquam fuerint reduces, notatum fuit. Adeo ut è rei naturâ nihil rectius concludatur, ſc. ſi ſanguinis ductione è brachii vel colli vaſis crebrò virum ſanum & robu-

ſtum in leipothymiam proturbet, neceſſario ea patientem vietum & viribus fractum, qui inſuper validâ leipothymiâ, vel (quod pejus) ſyncopes inſultu gravatur, in ſtatum præcipitem dabit multis gradibus extremo fato propiorem. Sepoſitâ ab experimento argumentatione, ad rei Rationale propero; conceſſo quod prima cruoris fuſio, præſertim copioſa, vaſa ampliando ſanguinis influxum univerſim promoveat, facilemque reddat, quo medio *Stagnatio* abigitur ſanguinis, & perſpiratio fit magis libera, Secundâ phlebotomiâ ſpiritus vitales, & mediate animales exhauriente, tertiâ eorum diſpendium augente, quartâque fuſius illos diſpergente, neceſſariò magis magiſque *circulatio*, ob ſpirituum & caloris pauperiem (utpote ſunt ſpiritus, qui impetum facientes, & in vaſis motus impulſores habentur) hebeteſcit ac interpellabitur. Porrò ſpirituum ſubſidentiâ & inopiâ pori conſtringentur, perſpiratio inhibebitur, & virulenti halitus, qui totius mali ſunt Efficientes cauſæ,

cauſæ, invicti affatim advolantes, vitæ debellatores indubitanter ſe ſiſtent, prout obſervationes variæ teſtimonia adducunt perſpicua, atque adverſus rem factam ſophiſma ſapiunt cæteræ argumentationes de re non factâ. Replicando forſan innituntur, quod phlebotomiæ ſcopus, intentiones, vel indicationes, ultra plethoræ *ſubductionem*, ſint Revulſio & Derivatio, & ſecundario vel per accidens doloris aphæreſis, &c. Concipiendum eſt, quod ſanguinis *ſubſtractionis* indicationes præcipuè cauſam antecedentem reſpiciant, & perrarò in cauſam conjunctam influxum exerceant, niſi per accidens & ſecundario; at reſpectu halituum virulentorum vel humorum venenatorum, quibus illi, qui ſymptomata præfata pariunt, ſaltem ſunt analogi, ſi non veriſſimè tales, præter unicam vicem ſub ullo prætextu in uſum trahi nequit phlebotomia, neque vix pro unicâ vice. Exempli gratia, Sanguinem auferre auſus-ne es in febri malignâ poſt principi-

um', vel in ipsâ peste? hominem suppone casu & inopinatò arsenicum, mercurium sublimatum, alteriusve veneni speciem deglutientem, vel miasmatis venenosi vi in spasmos conjectum, daturne Phlebotomiæ imperandæ locus? Animo exopto medicos ex observationibus (quibus scholæ medicæ supremus consistit gradus) ejusmodi theoremata sive axiomata eruere allaboraturos, quæ ipsis regularum loco inservirent, unde vera mensura necessitatis, temporis, numeri & quantitatis sanguinem depromendi decerni possit, & Phlebotomiam tanquam (è tripode) omnibus consulere (quod plurimis in more est) evitent.

9. Præter tertiam & quartam Phlebotomiam, suppone judicatum commistum è lanio-doctoribus & merdamedicis acre emeticum imperantibus & (citra enematum computum) solutionem *Hieræ picræ Galeni* in vini spiritibus non rectificatis (vulgò sub tincturæ sacræ titulo notam) singulis matutis ad plures dies in fauces

fauces pulsam ægri, toties geminatis sanguinis *subreptionibus* ad tantam virium subsidentiam reducti, obtrudentibus: Simulac suppone, animi deliquiorum & spasmorum ingravescentium recursu, emeticis & præcipue acribus fermentescentibus *Aloeticis* tam crebrò in usum revocatis, spiritus torsos & fractos. Omnium istorum vis unita, nullatenus ambigendum, quin in infimo fundo superstites virulenti limi fæces surrigat, atque profundissimè sublatentes quisquilias impetu suscitet, quæ si incitabulis istis immunes fuissent, ad multos annos quietè & pacatè substitissent. Insultus tanta rabie stipati spiritus & humores jugiter impugnantes, quin hos illosque in extremos conatus febriles (qui sanè moribundorum febris dicendi) impellant, haud alias fieri potuit. Ad istam moribundorum febrim supprimendam pulverem *Jesuiticum* ceu *Chin-chineum* exhibere eôdem redit, ac mortis ceu gratiæ (*coup de grace*

apud Gallos) percuſſionem inferre. Certo certius quod vulgares minutulæ medicinæ & remedia hyſtericis exhiberi ſolita mulierculis, abſque purgando vel ſanguinem mittendo, indubitanter ægrum ſuppoſitum recuperaſſent; atque nihil hypochondriacum virum vel fœminam in paroxyſmorum recurrentium apice necandi magis capax eſt, quam ſanguinem mittendi, purgandi, vomendi, & *Jeſuitandi* circulus propoſitus.

10. Sine lucernæ vel laternæ operâ perſcicuè eſt diſcernere, quod nihil effectibus pernicialibus magis chalybi appropinquet, quam Jeſuitarum cortex, & vice verſa, *Jeſuitarum* cortici magis quam chalybs; inſuper quod pluribus horſum annis poſt illorum uſum, alteruter morborum atrociſſimorum generandorum vi polleat.

CAP.

CAP. V.

De Chalybis Sulphure, & hujus præcellenti succenturiato.

1. NIhilo-ſecius fiducia tua ſi tam ſingulariter in chalybis virtutibus in obſtructiones pervicaces ſit repoſita, ne ultra chalybis ſulphur electio tua vagetur, ſim tibi author; quippe quod ſit preparatio virtutibus præ cæteris omnibus inſigniſſima, ac tutiſſima; atqui ſimul notas has arbitrio tuo commendatas velim. 1. Quod formâ, licet electiſſimâ, maximoperè nonnullis temperamentis adverſetur chalybs. 2. Quod *tartari* tinctura universè omnibus temperamentis, quibus oppilationum reſeratio præcipua ſit indicatio, amicè congruat. 3. Si ex optato hæc & cætera validâ energiâ pariter dotata medicamenta minus reſpondeant, hoc doſi minori (ſex, octo, vel decem guttularum) quam par ſit, attribuendum, dum egomet

non insolitè cochleare medium, & per vices integrum vehiculi blandi sufficienti mensurâ dilutum præbeo; cujus exemplum insecuturus nunquam scopo vel spe decides. 4. Quod *Tartari* tinctura vulgata vini sulphuris in *menstrui* vinosi spiritibus *exaltatio* sit ab aburentibus validè *calcinati* tartari salis particulis, cujus nempe salis subtilissimæ particulæ igneis miasmatis affatim impregnatæ, præfato sulphuri & spiritibus arctè agnascuntur. At particulæ crassiores, in quibus maxima & potissima vis abstergens & deoppilans residet, ob phlegmatis ceu portionis aquosæ in cucurbita post destillationem spirituum relictæ inopiam, in prædicto *menstruo* quum dissolvi nequeant, ratio est quare hæc præparatio ceu tartari solutio longè Tartari tincturæ vulgari & operosæ præstet. Quod præparatio proximè subscribenda, quum ex parte sit tinctura, & ex parte salis *tartari* solutio, *absterstvâ* virtute sit donata, à lixivis lubricis vel specticis emanante salis particulis

culis, quibus insigniſſime deoppilans evadit, & alteri tanto ſit anteponenda, quanto ſit facilior encheireſis, quæ operâ leviori, & tempore breviore abſolvi queat; cujuſmodi proceſſus circa cætera *materialia* ſemper primum apud me locum occupant, minime ignarum, quod operoſæ & multijuges, diſtillatione, præcipitatione, *ſublimatione*, *calcinatione*, & variis igneis torſionibus formarum corporum mutationes ſæpenumero rei naturam evertant, dum prædictis modis in eam exaltandam virtutibus, & qualitatum correctionem potiùs animum tendimus.

2. Recipe ſalis *tartari* probe *calcinati* duas vel tres uncias, affunde ſpiritus vini non *rectificatos* (optimos tamen) ad *ſupereminentiam* quatuor digitorum. Digerantur per dies noctesque quatuor in *phiola* in arenæ balneo in colorem flavum: Dein *decanta* tincturam, atque hoc totum eſt. Hujus exhibe cochleare integrum, plùs minùs, in vehiculo idoneo, mane & veſperi.

3. Hâc ſimplici præparatione nauſeoſus

seosus sapor magnoperè infringitur, licet per totum non evellatur, quod tamen salis strenuâ *calcinatione* perfici potest. Spiritus vini non *rectificati* hic assumuntur tanquam phlegmate non orbati, ut ab eo particulæ lixivo-salsæ *abstersivæ* & sinecticæ affatim absorbeantur, atque in hoc puncto facillima hæc præparatio (cujusmodi plures calleo, pluresque assequi enitor) operosiori vulgari multis gradibus præcellit.

4. Hujusmodi nitido medicamento cum æquipollente mixto parvâ temporis intercapedine peragi potest, quod tribus vel quatuor mensibus vix assequi valent sesquipedalia apozemata è radicibus aperientibus, herbis capillaribus, floribus, fructibus, seminibus, aromatibus & syrupis, omnium horum farragine pessimum ascíscente saporem, sœtoremque non minus ingratum, energiâ summe fatiscente, operosè præparata, ac non vili pretio gravata, & ostentationis potius quam emolumenti gratiâ à famosis merdadoctoribus præscribi solita.

CAP.

CAP. VI.

De Asino-doctoribus, horumque lactis diæta, tussi, tabe, & hecticâ febre: itemque de Lanio-doctoribus.

1. ASino-doctorum panurgia non est minima, quemcunque carnis extenuationi subjectum spectent, ei phthiseos titulum impertiuntur, quæ (extenuatio nempe) quandoquidem cuivis pene morbo sit comes, gregatim patientes istiusmodi medicis approperare cogit; atque nomen illud horrendi quicquam significationis sinu recondens non parcè ipsis multiplicem asino-praxin parit, præcipuè ubi lactis diætæ famam tam sublimiter provehunt, hanc solam sanguinis edulcandi vi pollere clamitando.

2. Pro certo affero, centenorum interitum meritò illorum nimiæ in asinarum lacte fiduciæ tribuendum, in omnium talium remediorum vel medicamentorum aspernationem, quæ ipsorum

rum morbis debellandis paria fuerint. Diætetici hi impostores ceu galactemedici jure criminis rei censendi, ob lactis naturam ab eis minùs perspectam, dum sit cibus repentè humoris illius peccantis, qui cæteris prævalet, indolem induens. In morbis è bile oriundis calidis, bili promptè assimilatur, febris calorem in flagrantem suscitat, cephalalgiam intendit, sitim temperatu difficiliorem reddit. Stomacho calide acrato nidorem invehit, atque multis in coagulum & corruptelam cedit. In morbis phlegmatodibus pituitæ moles ab eo aggeratur. Calculus & arenulæ nutricatum & accretionem inde assugunt. Paralyses, somnolentia, cæcitas, catarrhi, & rheumata ejus usui sæpius succedere. Diathesi eucratæ optimè congruit. Variorum adeo morborum galactediætâ curationem moliri, prout ostentant, æque impossibile, ac si eâ in artus luxatos reducendos vel ossium fracturas ferruminandas incumberent Pulmonum ulceri cum synchrona febri hectica & tabe

tabe asinina lactis diæta mederi non magis licet, quam caponem in *Thamiseos* fluminis fundo assare. Huic autem fidem adhibere fas est, quod marcescentium numerus ingens tussi infestatorum asinæ lactis ope ad habitum corporis tumidum fuere reduces, sanguinis Sales carnivoros sero diluentis, atque particulis *butyraceis* & oleosis dictorum salium aspredinem lævigantis; & tenero-mollium casseariarum ejus particularum respectu facilius assimilatur, quam carnium fibratus succus. Summatim, qui pulmonum ulceri febri hecticâ & tabe stipato medicari nescit, vix medici nomen meretur. Febrim hecticam quod attinet, quam omni medelâ generatim eximunt, ista unà cum ulceris detersione & consolidatione recedit, absque anti-hectici usu cujusvis, adeo ut de se hujusmodi medicamenti possessore passim in curationum centuriis falsissimè gloriatus fuerit *Poterius*, atque id ipsum de specifico stomachico, nonnullisque aliis factitatum esse ab eo haud vero absimile.

Quod

Quod pulmonum ulceri, deterſionem primariò indicanti, medicamine (ex antimonii ceruſsâ cum Jove *calcinatâ*, præfati antihectici nomine ſignatâ) vi exſiccandi, abſorbendi, & conſtipandi prædito, auxiliatus fuerit, mera eſt buttubata. An aſina-patiens vel aſina-doctor *Aſinitate* magis exuberet, deciſionem penes eos facile reperire eſt, qui Athenæi Philoſophi Græci dictum à Sciopio verſum obvium habent ſc. *exceptis Medicis nihil eſt Grammaticis ſtultius*, i. e. Grammaticis Medici multo ſunt ſtultiores.

3. Medico-fraternitatum quinque prænumeratarum Collegæ, *lacteis* confratribus ſextæ dignitatem, circa lactis cum phthiſicis & hecticis negotiationem, cedere coguntur. Lanii ne manifeſti homicidii reatui illabantur à ſueto ſanguinis profundendi more abſtinere tenentur in morbo, quo ſanguinis ſumma eſt inopia, cujus raptura ad menſem plus minus vitæ productionem, in hebdomadis vel horarum paucarum terminum verſura eſſet. Merda-

homunculi,

humunculi, iis exceptis qui impendio provecti ſunt impudentia, à cathartico-rum ſuorum præſcriptis exulant, quæ alias rapidiſſimum alvi fluxum (ſymptoma huic morbo non alienum) citatura eſſent atque hic incidens raptim jugulat tuſſim cohibendo, & *expectorationem* ſupprimendo defectu ſpirituum in reſpiratus ventre, qui tunc catarrhopi forent; hinc mox ſucceſſurum ſymptoma eſt præceps ſuffocatio. E chalybe medicamenta, ſicuti Jeſuitarum cortex, expectorandi conatus inhibentia, prout præterlapsâ paginâ fuit objectum, apud veterinarios & *Jeſuiticos* doctores plane exulant. Neque Aquariis medicis in palæſtram cum aquinariis ſuis introitus copia datur, aquis omnibus è ferri, vel aluminis *mineris* ſcaturientibus expectorandi facultati adverſantibus. Quocirca quemadmodum ars expectatione medendi ſtatuitur, pari ratione ars expectatione occidendi concedenda eſt; quandoquidem ille qui à pulmonum ulcere tabe confectus eſt, indies & per hebdomadas incaſſum

Quod pulmonum ulceri, deterſionem primariò indicanti, medicamine (ex antimonii ceruſsâ cum Jove *calcinatâ*, præfati antihectici nomine ſignatâ) vi exſiccandi, abſorbendi, & conſtipandi prædito, auxiliatus fuerit, mera eſt buttubata. An aſina-patiens vel aſina-doctor *Aſinitate* magis exuberet, deciſionem penes eos facile reperire eſt, qui Athenæi Philoſophi Græci dictum à Sciopio verſum obvium habent ſc. *exceptis Medicis nihil eſt Grammaticis ſtultius*, i. e. Grammaticis Medici multo ſunt ſtultiores.

3. Medico-fraternitatum quinque prænumeratarum Collegæ, *lacteis* confratribus ſextæ dignitatem, circa lactis cum phthiſicis & hecticis negotiationem, cedere coguntur. Lanii ne manifeſti homicidii reatui illabantur à ſueto ſanguinis profundendi more abſtinere tenentur in morbo, quo ſanguinis ſumma eſt inopia, cujus raptura ad menſem plus minus vitæ productionem, in hebdomadis vel horarum paucarum terminum verſura eſſet. Merda-

homunculi,

humunculi, iis exceptis qui impendio provecti sunt impudentia, à cathartico-rum suorum præscriptis exulant, quæ alias rapidissimum alvi fluxum (symptoma huic morbo non alienum) citatura essent atque hic incidens raptim jugulat tussim cohibendo, & *expectorationem* supprimendo defectu spirituum in respiratus ventre, qui tunc catarrhopi forent; hinc mox succesſurum symptoma est præceps suffocatio. E chalybe medicamenta, sicuti Jesuitarum cortex, expectorandi conatus inhibentia, prout præterlapsâ paginâ fuit objectum, apud veterinarios & *Jesuiticos* doctores plane exulant. Neque Aquariis medicis in palæstram cum aquinariis suis introitus copia datur, aquis omnibus è ferri, vel aluminis *mineris* scaturientibus expectorandi facultati adversantibus. Quocirca quemadmodum ars expectatione medendi statuitur, pari ratione ars expectatione occidendi concedenda est; quandoquidem ille qui à pulmonum ulcere tabe confectus est, indies & per hebdomadas

incassum

incaſſum *lacte* diæta levamen expectando, talia porrhabet remedia, quæ ipſi prorſus ſuppetias afferre quiverunt, quo fatuo ductus igne tandem artis expectationis fiſco vitam addicit. Syrupi, *Lohoch*, *morſuli*, ſimiliaque ſub nullo alio tegmine *Pectoralium* nomen falsò induunt, quam æſophagi aſperitatem immediate lævigando, cujus virtutis viciniâ partium ceu affinitate participem etiam faciunt tracheiam arteriam, in longius tamen non protrahendæ, quam ſalſi rheumatis ſive pituitæ è glandulis eructatio tenacem & glutinoſum ſyrupum, vel ſacchari lentum dulcorem abſterſerit; in quibus perinde ac in ſtomacho rheuma acrimonia, & fermenti (uti nominare vulgo placet) depravati ope, illum & omnia ſaccharo ejuſmodi confecta medicamina in corroſive acida immutat, quæ tanto abſunt, ut ad pulmones appellentia ulceri opitulentur, quin potius ulcus excavent, & ſtimulando tuſſim geminent. Omni contradictione procul eſt, quod mel in quibuſvis pectoris

ctoris medicamentis facchari vicem explens facultate donatum sit, quod aliquatenus pulmonum ulceris indicationibus sit responsurum, quippe quod extractum *Balsamicarum* particularum fragrantium oleosorum florum videatur, quod viribus non penitus fractis pulmones attingere possit.

4. Non me latet, quod herbæ traumaticæ, videlicet hedera terrestris, alchimilla, bugula, plurésque his haud absonæ, à nonnullis magni habentur medicis, qui tabidorum aliquot recuperationes illis audacter ascribunt. Atqui non minùs certò statuere audeo, illas, ulceribus præfatis à quibusdam licèt curandis pares habeantur medicis, stomachum & viscera cætera trajiciendo, ac humorum misturam subeundo, tantis impressionibus & tot mutationibus subjectas fore, ut facultatibus & energiâ exuantur, priusquam ad pulmonum vasa tranare queunt. Quod maximè in eorum gratiam constabiliri potest, est, perpaucos impensè maceratos,

tos, simulque tussi inveteratâ attritos, unde fictè tabidi pronunciati fuere, ab illis vel allevamentum vel medelam recepisse: Atqui tunc subintelligendum, quod pulmonum ulceris, febris hecticæ, atque minutorum abscessuum, nec non putridæ pulmonum affectionis expertes fuerint, quæ sensu genuino tabem *diagnosticè* distinguunt. Non est hæsitandum, quin expectorata in putridâ pulmonum diathesi constent è pituita purulentis particulis perfusâ, in reconditis illius visceris poris diutinè stagnando genitis unde ortum sumunt febris hectica & tabes, quæ in hac insula adeo endemicæ sunt, quibus neque galacte-diæta, neque decocta traumatica quamvis saccharo vel melle satis superque condita, neque syrupi pectori dicati, *lohoch, nec rotulæformes* confectiones unquam medicationem attulerunt, verum certissime expectatione necant, quum unicum tantum medicamentum à præfatis longe recedens detur, quod ad omnes veræ pulmonariæ tabis indicationes quadrare par sit.

Capi-

Capitis tonsura ad calvitiem usque, pariter ac in brachio vel nucha fonticuli, in tabe a pulmonum ulcere oriunda non magis pollent, quam digitorum & pedum unguium præfectio; licet in parcissimis casibus tria quatuorve pectoris partibus idoneis cauteria inusta, in totidem fonticulos cessura, magno emolumento esse possint; atque procul est omni objectione, quod aeris commutatio sanitati recuperandæ summè conferat, estque *causa sine quâ non* censenda.

CAP.

CAP. VII.

De Doctoribus Aquariis, renum arenulis & calculo, variisque aliis morbis.

1. AFfectiones hypochondriacæ, ſcorbuti quædam ſpecies, viſcerum emphraxes, mulierum ſterilitates, ulcera intra hypogaſtrium, & præ cæteris arenulæ atque calculus Aquariorum medicorum juriſdictioni ſubjiciuntur, quamvis uſurpatus in hos morbos dominatus ultra menſes æſtivos non protendatur (ſecundum tritum verſiculum, *menſibus in quibus R non bonum bibere water*) qui extremi horum ſunt limites ac termini. Non obſtante, turpis lucri illorum aviditate maximæ jacturæ hypochondriacis & nephriticis patientibus futuræ præponderante, illis ſæviſſima gelicidii tempeſtate aquas *minerales* tam purgantes quam diureticas propinando neutiquam abhorrent, ſub conditione tamen ad medias decoquendas,

das, vel lactis affusione in grumosum jus vertendas. Quodcunque solamen vel allevationem ex ipsorum ventriculo, urinæ ductibus & intestinis humores fluidos pro præsenti diluendo leviter morbidi percipiant, earum in usu perseveratio pituitosas fœces in pervicaces (ut prius asserui) glebas validâ restrictione compingit, cui nullâ aliâ ratione præ-caveri potest, quam cathartica alternatim interponendo, morbi, causarum morbificarum, aliarumque circumstantiarum indicationibus congruentia. De calculo & arenulis judicium ferendum, vel dum cruciatus, urina diminuta, vel suppressa paroxysmum suscitant; vel dum quiescentes patientes ab istis paroxysmis immunes reddunt. Unius vel alterius speciei aquas cruciamenti tempore exhibere idem est ac causas istas conturbantes in sæviorem rabiem, dolorumque intensionem, & non rarò in arctam urinæ suppressionem lacessere & adigere. Cruciatus adaucti & protracti inflammationes & febres alliciunt, quæ permultis

multis mortem denunciant. Urina per ſex vel ſeptem dies obturata in lethalem ſoporem & coma vel lethargum commigrat, cui perpetuò febris comitatur. Cathartica iiſdem malis ſunt pariter obnoxia, atque idcirco cautè ſunt vitanda. Aquarum curſus medicus extra paroxyſmum abſorptarum mucum deturbando ſolutum, tenues ſordes eluendo, craſſioreſque humores occludendo & compingendo, proculdubio paroxyſmorum intercapedinem multum protrahunt, cruciatus ſuſpendunt, & ſymptomatum præallatorum reditum præcipitem reprimunt; atqui hiſce mediis humorum ſalſorum & craſſorum maſſa in immedicabilem depravatur, calculuſque adeo aggrandeſcit, ut patientem in præcedentibus pejorem paroxyſmum demoliens, eum interimat. Quapropter totius epitome eſt, quod aquæ (*minerales* ſcilicet) vitam minùs moleſtam, breviorem licet, concedere valeant, atque in tantum calculi medicationi adverſentur, ut ne tantillum quidem ejus accretioni ſub-

subtrahant, excepto temporis curriculo, quo illis utuntur: Sicuti hinc palam fit; quod primus paroxysmus, qui ægrum aggreditur post ipsius aquarum methodum finitam, plerùmque deterior est, quam prægressorum ullus.

3. Quod calculi in vesica & renibus geniti dissolutio & comminutio intra medicamentorum actionis sint sphæram, fides est, quæ possibilitate cum summo Poeseos figmento æquiparabilis est. Qui adamantem oculi pupillo incumbentem mallei vi diffringere supponit, faciendi modum vel rationem, quâ *imaginariè* fieri debeat, quidem exprimit; at reducere velle in grumos, sabulum & pulverem lapillum durum in parte adeo sensili ac vesica, ope sanguinis hirci, pulverum testaceorum, lapidum & vitri in *alcool* tritorum, cinerum (quorum exempla in Electuario Justino, Nephrocathartico Arnoldi Villanovani, de cineribus Avicennæ, Diuretico Montagnanæ extant) decoctionum vel distillationum è simplicibus hebetibus, veluti sunt radices

quinque aperientes, saxifraga, fragaria, *alkekengi* fructus, semina dauci similiaque, de modo agendi ὑποτυπωσιν sive conceptionem acutissimi Philosophi transcendit; nihilosecius saxifragarum medicinarum vires tantâ medici amplectuntur fide, ut ultra possibilitatem his *dictim* rem peractam perfricta fronte propalent in illis, qui calculo laborant. Merito affirmari potest, nullis exceptis, nihil fruitius, audacius, & mendacius medicis. Atqui porro lapidem in vesica dissolvere qui profitentur diffindentium medicamentorum vi, quorum acies in stomacho & cæteris visceribus, quæ longo circuitu trajicere tenentur, prius obtunditur, quam vesicam actionis vel pugnæ circum appellere possunt, sequipedalia efferunt verba multis parasangis hariolos æthnicos superantia. Ni me fallit memoria, in Duræti annotationibus in Hollerium narratio mihi occurrit de medico, cujus medicationi nepos vel filius cujusdam principis Cõndæi lithiasi subjectus amandatus erat, quam iste, lapidem

pidem in vesica paucis diebus dissolvendo, peracturus pollicitus est. Prudenter tamen à Principe præcautum fuit, ut in puero vilioris sapiæ eidem morbo succumbente ejus medicamenti periculum fiat, vel, secundum medicorum adagium, fiat experimentum in vili anima. Primo vel secundo die ab assumpto illius dissolvente *Elixirio*, diros passus cruciatus animam efflavit, cujus ventriculus dissecto cadavere corrosus & ulceribus terebratus spectabatur.

4. Millepedæ sive porcæ nostratium idiomate, inter medicorum (præhabitis tamen horum uxoribus & filiabus) saxi-tritores summum gradum obtinent, licet hactenus non emicuerit, in quibus particulis illarum findentes acies latuerint. Si illarum impulsui diuretico talem facultatem affingere ipsis placet, vinum rhenanum prærogativam vendicabit, quod nihilominus pro universali arenularum & calculi Germanis habetur Parens. Verum stupidi hi medicinæ frondatores, ultra *Papa-*

lia de putridi carioſi ligni fruſto credenda, merdæ & ejuſmodi compoſitionum ſuperſtitioſâ fide correpti ſunt. Si in Meſue, Avicenna, vel Averroe alcis ungulæ vel caſtorei teſticulorum in convulſiones characterem obvium habent (licet crebriùs mus dorſo montem portaverit, quàm iſta ſimplicia unquam talem morbum curaverint) in eorum uſu tantâ pervicaciâ & perfrictâ fronte perſiſtunt, ut hominem in ipſorum medica ſuperſtitione cum illis conjugari recuſantem mente correptum determinent. Quod araneus, bufo, vel argentum vivum amuleti vice hominis collo appenſum in peſtem certum ſit tutamentum; vel quod Bezoar ſilex, Goæ calculus, margarita, ſimiliaque in hanc cæteraſque omnes febres malignas indubitatæ ſint antidoti; vel quod anguilla mulieris femori circumvoluta hyſtericas paſſiones diſpergat, ſunt medicorum credenda ſtolida. Si puſillam medendi methodum promoribus labris tantum deguſtaverint, & quandoque ſceleris patibulati cadaver

ver publicitus diſſecuerint, necnon ſi de monſtroſis prætenſis, & ineptis in Philoſophia ac medicina detectionibus fabulari calleant, ſe in arte ſua conſummatos propalant; quum ſibi ſanguinem depromendo equus pelagius, gramen manducando canis, in anum aquam ponticam enematis vice inſpuendo grus ab illis ipſorum magiſtri fuent agnoſcendi, quibus tanquam diſcipuli medicæ praxeos peritiam ex parte debent.

5. Hoc autem fide digniſſimum eſt, quod cauſis procatarcticis, internis antecedentibus, *materialibus* & adjuvantibus ſubtractis & correctis, & iſtâ methodo in longum tempus protentâ, ſabuloſi pabuli inopia, & cujuſcunque fomenti ſubductione, ſpirituum & fermenti (uti vocant) correcti ope natura duriſſimum & maximum lapidem in friabilem verſura eſt (ſubaudito, quod ætatis decurſu & viſcerum imbecillitate patiens non admodum langueſcat) quo percepto, ductus excernentes probè ſunt relaxandi, & *mucilagi-*

neis emollientibus lubricandi, & subinde molliter ac gradatim diureticis sunt stimulandi, ut fabulum deturbent. Atque hæc unica & certa est methodus immedicabilem hactenus ægritudinem curandi. Comes de C. jam defunctus nonnullis retro annis acuto dolore palmam supra inguen dissito impense cruciabatur. In lecto *procumbere* ipsi erat commodissimus situs. Cum illius dignitate provecta & dolore exquisito quinque vel sex superlativi medici quadrate æquabantur, æque congruenter sex superlativos vel grandissimos acaros vel teredines dicere licuit, vulgo perimproprie nomen grandissimum rei minutæ adeo & viliac Expectationis Concl. medico tribuente; quum inter plures vix vigesimus decimarum eorum sit gnarus, quæ memoria ipsi exciderunt; vel quorum adhuc memor est, vix cognitu digna sunt. Improsper successus prædictorum medicorum præscripta consequens nobilissimo patienti macri eorum judicij indicio fuit, quod tam varietate quam falsita-

te

te vacillabat, altero è colica flatuosa dolorem oriundum esse insinuante, altero ab ulcere, alio ab hoc, & alio ab isto. Tandem ampliſſimi viri curæ mihi commiſſæ honore fruitus ſum. Sine rei prolixo ſcrutinio Dominum certiorem feci, dolorem in iſta abdominis parte à minutulo anguloſo lapillo in uretere hærente excitari, cui tamen, à longo tempore medicantium Doctorum exauctoratorum falsâ opinione præ-imtus, admodum invitus fidem habebat, aſſeruitque quod anteceſſorum nullus unquam morbo laboravit, qui tam vulgariter hæreditarius ſit, nec dum huc uſque ſabuli minimum ſignum in ſe compertus fuit; adhæc, quod quidam ipſi affinis dolore in eadem parte affectus fuerit, quem a flatu ortum duxiſſe, liquido conſtabat è *carminativis* remediis, eum in totum diſcutientibus. Replicui, artifici in ſua arte credendum, atque eventum rei veritatem demonſtraturum eſſe. Longo tempore in pertenui diæta hunc nobilem detinui, & medicamentis uſus ſui, metho-

do & indicationibus ſupra allatis reſpondentibus, quæ demum quinos vel ſenos lapillos piſorum magnitudine exploſe runt, interdum unum, & aliquando duos per diem. E colore & aſpera ſuperficie innotuit, eos amplas fuiſſe micas, à grandiore lapide in rene formato deciduas, qui accretioni ejus ſubtrahendo, fomenti defectu, & cauſarum correctione in amplas partes diviſus erat.

CAP.

CAP. VIII.

De erroribus circa calculum, & particulariter de Cathæteris abusu; item de Stranguria & urinæ difficultate.

1. TEmeritas nimis properanter & bis terve iterato cathætere & *itinerario* tentandi, dubij discutiendi gratia, num in vesica calculus resideat, an non, è lucri avidi chirurgi astuto molimine potius emanat, licet in patientis summam jacturam & cruciatum, quam ex absoluta rei indigentia. Si quidem nisi ejus fuerit institutum, se lithotomi manibus subjiciendi, postquam ejusmodi *minera* detecta fuerit, calculi in eo conceptionis & accretionis asseveratio ipsi sane indubitanter perrennem est impressura metum & angorem, à quibus se neutiquam est liberaturus, priusquam se ancipiti remedio, cultello & forcipi nimirum, desperanter tradiderit. Quinimo si animus ipsi defecerit istiusmodi operationis

tionis crudelitatem ſubeundi, omnimode cujuſvis aſtuti lithotomi tentationem fugiat, cujus negotium magis in crumenam quam in veſicam penetrando conſiſtit, veluti ſatis liquet è bardo hujus civitatis homunculo, præfamoſo tamen, qui famæ ſuæ penu à Magiſtro in Chirurgia, & præſertim in lithotomia ſatis perito mutuatus eſt. Si quidem tempus in confirmatorum remediorum, demonſtrabilibus illis indicationibus ſupra ſcriptis reſpondentium, uſum diutinum Protenſum, calculum conterere valeat; atque quicunque alius morbus, qui pro eo incautius accipi queat, ijsdem medijs medicabilis fit, cui bono cathætere exploratio fiet? Præſertim quum ejuſmodi tentamentum inſtrumentuli, ob ſpincterem à tumore, callo, ulcere, vel caruncula coarctatum, repulſu, tam crebro uſque adeo fallax deprehenſum fuerit, ut quidam ab omni calculo liberi, vel nunquam lithiaſin paſſi, ad ſe lithotomiæ tradendos incitati fuerint; atque operationis horrorem & torturam ſuperantes dubi-

dubiam moleſtæ vulneris curationis aleam ſortiri coacti fuerint, quæ tamen perraro abſque urinæ perenni ſtillicidio reliquo & mictionis difficultate, & frequentiſſimè vitæ orbitate, perficitur. Adhæc ubi tentatio nullum patefecerit morbum, ſæpe unum vel alterum peperit, viz. Sphincteris inflammationem, urinam cruentam, excoriationes, ulcera, pſeudo-gonorrhœas proſtatas læſas ſubſequentes, mictionem involuntariam, ſtranguriam, dyſuriam, urinæ ſuppreſſionem, & cunctos fere morbos veſicæ & penis incidentes, illoſque non exceptos, quos ipſa mors conſecuta fuit. Altrinſicus, cathæteris & ſtineraij uſus anceps non minùs conſtat in illis, qui revera calculum ad veſicæ partem agnatum habebant, quam inſtrumentulum iſtud non attingens, vel calculum, mollitie ſuâ minimè reſiſtentem perterebrans, opinionis fallaciam chirurgo impoſuit, patientem ab omni calculo immunem eſſe inferentis.

2. Arctæ

2. Arctæ urinæ ſuppreſſioni clariore ratione potius, quam alij cuivis morbo cathæter admovendus videtur (dummodo à muco, ſanguinis grumis, vel ſoluto calculo & deciduo ad veſicæ collum, ſimilibuſque cauſis ortum traxerit) ut urinæ exitus pateat, obſtaculum amovendo.

3. A Calculo tentationibus (uti nimis crebro accidit) motibus violentis, vomitibus, purgationibus, diureticis validis, & proprio pondere, vel mole ab adhæſione abacto, unicum deducitur patienti ſuaſorium argumentum, ut ſe tam ancipiti lithotomiæ ſucceſſui tradat; quippe calculus grandiculus gravitate ad eundem locum declinationis, quo prægreſſam induxerat ſuppreſſionem, revertetur, perpetim que verget, niſi in lecto decumbendo tam longo tempore quam forſitan veſicæ parieti, unde dilacerâtus fuerat, denuo agglutinando par ſit, occurratur. Adeo ut arenularum chirurgi, calculum à veſicæ orè cathætere pellere profitentes, quò urinæ per vices longis inſtertitijs ſuppreſſa

preſſæ exitus præbeatur, bardam & impudentiſſimam agant impoſturam, quum in ſimilibus caſibus veſicæ parieti ſemper firmiter adhæreat calculus; at iſtiuſmodi urinæ ſuppreſſio à muco, ſabulo, paribuſque cauſis perpetuò oritur. Hoc quidem verum, operator nonnunquam calculum nihilominus percipere poteſt, quem patientis poſitura, vel decumbendi modus, vel iſtius lateris veſicæ tumor propius ſphincteris introitum quit adducere, qui contactus inſtrumentulo (cathætere & intra hunc itinerario) eum falſo hoc conceptu imbuit, ipſum calculum movere (quod in hoc caſu ſtupidiſſimum abſurdum ſonat) ſiquidem omnibus perſonis in principio & incremento calculus perpetim fixus exiſtit, nec unquum ſolvitur, vel mobilis fit, niſi quibus urinæ ſuppreſſionis paroxyſmi ſingulis fere momentis revertuntur; atque calculi adveſicæ parietum adhæſio conſimilis univerſalis eſt, uti iſta de ratione in quamplurimis per

multos

multos annos, & forsan totam vitam calculum hospitatum fuisse, ex eorum post obitum cadaveribus dissectis, planè liquet quamvis viventes lithiaseos ne tantillum quidem unquam experti, vel ejusmodi præternaturalem accretionem suspicati sint. Licet ignorantia & fallacia hæreditariæ sint permultis, qui artis medicæ appendices vel potius recrementa putati sunt; attamen isti calculorum operatores (qui ut plurimum facinorum suorum gratiâ transfugas, circuitores, & agyrtas agere coguntur) prædictas qualitates summo gradu possident.

Stranguriæ & urinæ difficultatis causa tenuiorem solito urinæ fluxum excernentes, plures se in calculi fallacem suspicionem impulerunt, ortum istis ducentibus è muco glutinoso, adhæsione & stagnando dolorosam & stimulantem acritatem ascisçente, quæ humores versus sphincterem allexit, unde ab intumescente horum eminentia tam viæ anguſtia & excretricis facultatis

facultatis languor, quam mingendi irritamentum consecuta sunt; posteriore symptomate stranguriam denotante, prioribus duobus urinæ difficultatem. Neutri horum ullum attulere emolumentum purgantia aut diuretica, at detrimentri multum, adeo ut hi matulæ doctores in hanc usque horam remediis in præfata symptomata debellanda inermi commorati sint.

CAP.

CAP. IX.

De Lanio-Doctoribus & eorum phlebotomia.

1. LOngè numero excedunt sanguinis missionum vel fusionum potius, à Lanio-Doctoribus vagè imperatarum noxæ beneficia indè collata iis, quibus necessario fuere celebratæ. Ætatis decursu non sine funditus pensitando, & animi scrupulo admittendæ; quippe levamen præsentaneum ab eis collatum vix viscerum defectioni, & imbecillitati indè fluentibus æquilibre est.

2. In Phthisi, hysterica passione, inveterato hypochondriorum malo, alvi fluxibus, & sub chronicorum morborum summo incremento venæsectio, quoties celebrata, malè audit. Post febris continuæ, nobilem quendam affligentis, ope binarum Phlebotomiarum diminutionem, spiritus jam ab omni sarcinâ liberi, materiam morbificam in crura deturbaverant, quibus noctes

noctes dieſque cruciamenta impegerat inauditè impetuoſa. Præter bina hypnotica, quorum ſingula ex Diacodii ſemuncia tantum conſtabant, decem dierum ſpatio exhibita, ne tertium quidem à me extorquere quibat. Quotquot eum inviſebant nobiles ipſius miſerti, quiſque medicum ſibi propter peritiam familiarem, ad eum mandavit. Inter quos ferreo doctori animus deerat, ſpecificum ordinarium è chalybe tentandi, cujus conſequentia neceſſaria fuiſſent in ſummo gradu tormenta, qua de re mortis prognoſtico pronunciato eum reliquit. Paulò poſt quidam Lanio-doctor duorum regum præcedentium medicus, (de quo vulgo fertur, quod plerumque ante horam nonam matutinam ſe ad Bacchi aras ſiſtebat) patienti venæ ſectionem imponendam inſtanter aſſerebat, quæ ſane ſupradicti ferrei doctoris prædictionem inevitabilem reddidiſſet. His nihil obſtantibus, octo dierum ſpatio tempeſtate nivosâ & gelante patientis dolores fuere penitùs abact

abacti medicamento minimè vulgari, atque hic ad priſtinam ſanitatem in hanc horam protenſam redux factus. Tantùm adducitur hæc obſervatio, ut pateat, quam beſtiarum inſtar medici in perſonas quadragenarias & quinquagenarias chronicis laborantes morbis conſulant, qui his venæ ſectiones obtrudunt, in quibus error, prout atteſtari poſſum, pluribus in ſimilibus caſibus, unica mortis cauſa fuit. Rationes in propatulo ſunt iis, quos obſervatio ſecundos & infauſtos venæ ſectionis effectus edocuit. Hâc generali annotatione concludo, quibus ſanguinis miſſio & purgatio nihil operari poſſunt, Conclavi-doctor minoris eſtimandus quam calceus detritus. Ut revertar ad Artem Expectationis.

CAP.

CAP. X.

Expectationis medicorum promptuarium exponens.

NON magis Medicinæ, vel ulli alii arti proprium est finem attingere, licet mediis idoneis, quam arti Expectationis. Sanitas est vera vel suppositicia, quam ambæ hæ sorores (quamvis altera sit legitima, & altera spuria) assequi conantur. Mangonizare seu *Palliare*, meliorare, conservare, & restaurare est principalis & ultimus finis artis medicæ; at lucrum, crumena, aurum, argentum sunt finis artificis: tanto honesti respectu una alteri præstat. Antiqui græci & arabici medici propter recentiorum novæ theoriæ suppositam germinationem & accrementum, nec non ferream & Peruvianam praxin adeo vilipenduntur, ut certa quædam Europæ regio aliquanto tempore incolarum indigeret, nisi constitutio robusta & Expectationis ars sanitati caviſſent.

2. Quod

2. Quod variolæ, peſtis, febres malignæ, pluresque alii morbi corpora ſana aggreſſa ſunt, ideas morbificas in phantaſiæ ſpiritibus figurando, medicorum infimates adſtipulantur Qua propter ſi axioma ſtatuatur, quod contraria contrariis curantur, parata indigitat media, alterando, & figuram materiæ ſubtiliſſimæ vel primi elementi cerebri (nempe ſpirituum animalium) ad formam priſtinam & motus ordinem reducendo, quo vortices iſtæ contra-naturales compeſcantur, & ex conſequenti ſanitas redintegretur; omne quod quadratè ab Expectationis medico peragitur, confidenter & audacter aſſerendo, patientem virtute præſcripti in ipſius recipe curatum iri. Hoc autem in ægri phantaſiam profundam ſculpturam adigente, animalium ſpirituum (qui ſæpe morborum cauſæ ſtatuuntur) enormes motus & rabies refrænantur; quod indies repetitum indubitatum fit medium, quod Expectationis ars in uſum aſſumit; quum ex adverſo, ſicuti in

ſequentibus

ſequentibus è variis inſtantibus palam fiet, quod in ſchedulis vel *Receptis* ab Expectationis medico notatum fuit, non magis ſanitati recuperandæ conferat quam Laplandorum incantamentum vento proſpero comparando: Atque quod impendio præfatæ ſculpturæ, vel validæ impreſſioni addit, eſt gravitas, habitus, ſuppoſititia doctrina & forma hujus audacis aſſeverantis medici, & ſuſceptoris.

3. Ut è menſura, numero, & qualitate apparatus innoteſcant artificis prætentorum probabilitas, & peragendorum capacitas, non multum negotii eſt; atque naturam cultri raſorii penſitanti, haud improbabile tibi videbitur, Barbæ tonſorem tui radendi capacem eſſe. Quocirca quod proximè mihi incumbit, eſt examen apparatus & thecæ inſtrumentulorum medicorum, quæ diſpenſatorium vel pharmacopœa eſt: hæc autem numeri & qualitatis reſpectu inſtrumentula excedit centum artificum, dicere auſim omnium, qui ſunt in *Europa*, *Aſia*, & *Africa*,

Africa, quum quæ ſint in, ſub, vel ſupra terram, vel quodcunque in ſingulis contineatur elementis, imo ipſa elementa, & quicquid ex iis conſiſtat, illius catalogo inſerantur, vel ad eam ſaltem pertineant. Notantur in ea terra jappannica, armenia, ſtrigonia, &c. item aquarum omnes ſpecies, quas terra cœlum que exudant; *mineralia* omnia, urinarum & ſtercorum univerſæ ſpecies, ſerpentes, bufones, aranei; ſub finem, nihil in totius orbis ſinu fovetur, quin Pharmacopœæ vel promtuarii medici fuerit appendix.

4. Quodlibet remedium alicui morbo referendum eſt; quocirca remediorum numerus quum indefinitus ſit, morbi numeri proportione illis reſpondere deberent; atqui conceſſo hoc, quam mira videbitur homo creatura, ſi pluribus morborum millibus ſubjiciendus eſſet, quam medici capitellum infartu capax ſit? Simius captato pediculo, ſi catenam ad ejus ligandos pedes, aſciam, ſerram, cultrum, malleum,

leum, & viginti præterea instrumenta adduceret ad illius caput detruncandum, perquam inusitata videretur fabula; atqui multò magis ludibrio haberetur medicus omnia, quæ mare, quæ tellus & cœlum contineant, congregans, ad impugnandas & propulsandas paucas illas morbificas causas, quæ omnes hominis morbos efficiunt. Atque Pharmacopœus si ex medici ordinationi subserviendi, vel ejus immensurabili stultitiæ complacendi motu, sibi omnia ista *materialia*, quæ elaboratissimum illius dispensatorium insignit, comparaturus esset, non magis hujus officina illorum continendorum capax foret, quam pyxidicula ad pilulas Elephantem.

CAP.

CAP. XI.

Primordium, & medicamentarii promptuarii primitivam fabricam evolvens.

1. PLurium civitatum combinato ad extruendum & propalandum dispensatorium medicorum fasce decoratarum modus vagus, consimiliter à celeberrima quadam sibi imitandus statuitur, taliter ut si à numero simplicium & compositorum, humidorum & siccorum, mollium & durorum, elixorum & assorum, præposterorum & incongruentium, misturarum superfluarum, nauseosarum & minimè consistentium, præ cæteris præstantiæ & eminentiæ mensura sit desumenda, laurea tibi concedenda fuerit isti Pharmacopœæ (vel deformi medicinarum copiæ) quam semel ridendi vel complacendi gratia (sc. L-- sem) optimam asserui: Atqui si à necessario tantum & selecto simplicium, & ex his debitè concinnatarum & congruarum compositionum numero desumenda

menda est ratio de eorum æstimatione, & valore, pharmacopœarum pessimarum pessima est censenda. Atque si hominum, qui Viri graves, docti & mirificè experti mundo videri satagunt, stolliditas te in cachinnos conjicere valeat, historia artis ipsorum medico-culinariæ ventrem tibi crepare faciet, prout sequitur ex conclavis medici L----sis annalibus deducta.

His holoserico cuculione tectis, & intra circulum magicum in nates collapsis, ursus major oratiunculam *ursulis* circumcirca expuit. *Quum ab omni ævo hominum vitæ & necis Jus nobis sit delatum, atque exemplo & more majorum horum liberi in eandem subjectionem nostro juri, potestati, & nostrarum neutiquam errabundarum habilitatum fidei indubitatæ succrescant, nostri est muneris albo calculo tales notare simplicitates & compostas medicinas, & harum præparandarum immutabiles leges, quæ aquarum, terrarum, lapidum, & cæterorum mineralium, vegetabilium & animalium multitudine & numeris, sufficientem*

cientem occupationem largiantur pharmacopæis, ut *his omnibus perplexi mente perturbentur; nec non ut illorum in mortario triturarum myſticarum, per cribrum trajectionum, & veſanarum confuſionum ope, hos noſtros ſub-ſervos attonemus, & ſtupore percutiamus, qui in profundam noſtra infinitorum ſtudia indefeſſa admirandi ſyncopen ſublabentes, in perpetuum animo noſtram adoriendi artem orbabuntur, ac ſumme ignaro mancipio detinebuntur. Omnia hæc ab illis plebi propalata, atque indè ad poſteras proſapias traducta, longe ultra ethnicos Deos nos exaltatura, & nobis conſtabilitura ſunt in totius generis humani vitam imperium ſempiternum. Itaque primum decretum noſtrum delegatis octo ad annos centenos vix pervectis facultatem concedat, qui longis per Saxonum angulos & Normannorum comitatus peregrinationibus, & lectionibus authorum Arabum ſumme obliviosis, congeſturi ſint quodcunque auditu, cogitatu, vel intellectu dignum de omnibus corporibus medicinalibus, ſimplicibus aut compoſitis, virtute*

tute præditis necandi, curandi, corrigendi, deſtruendi, calefaciendi, refrigerandi, humectandi, & ſiccandi omnia temperamentorum genera.

3. Octogenenariis legatis vel exploratoribus in conclave afferentibus gremia *materialibus* differta è Meſue & Avenzoare eruderatis, atque quibuſcunque è cæteris barbaris impolitis, ſuperſtitioſis, & ſupra fidem ignaris Arabicis (vel ſi mavis rabidis) impoſtoribus deprompta indignis, omnes hæ quiſquiliæ ab univerſo Collegio comprobantur, & ut in iſtiuſmodi ordines et formas, prout in ipſorum pharmacopœa ceu pharmacopodice videre eſt, digerantur, præcipiuntur; non ſine proclamatione edita, quod ſi quis quidpiam moli huic indigeſtæ aſſuendum habeat, exaudiri & ipſius animus expleri poterit. Vix ullus erat, qui non mente volvebat ſumme dignitati, experientiæ, vel capacitati ſuæ detractum iri, ſi aliquid formæ medicamentoſæ non contribueret; idcirco quivis aviæ medicinam afferebat; hic de unguento, quo avus piæ memo-

riæ clavos curabat, admitti petebat; alter de *febrifuga*; tertius de pulvere Comitissæ de *K.* à *Vascone* oriundo; quartus de pulvere in canis rabidi morsum valente; quintus de Electuario ultra rationem confusissimo, forsan Theriaca diversorum nominum, vel Methridatio, quo olim rex quidam omnigena profligabat venena. Alius perditè aquæ vitæ deditus, totum opus mancum futurum decernebat, nisi Hybernorum spiritui ardenti (cui nihil secundum) locus vacaret. Summatim hic deformem tumidam massam conglomeratam contueri est; & phalerarum vice, propalatum est, quod communi opera adornata sit, licet in æternum eorum opprobrium. Circulatorum Alcoranno hac rationeconfecto,& super membrana depicto, fidelitatis & obedientiæ jusjurandum ipsorum dextra præstandum est;quod *sacro-sanctè* servandum,nec ab ipsis,neque ab ipsorum pharmaco servis violandum, sic adjuvet eos *Mammon.* Hocce est immensæ eorum fabricæ ex integro primordium, quod deinceps partitè tibi sum traditurus. CAP.

CAP. XII.

Medicæ coquinæ gustatum exhibens.

1. INcumbit jam ὑδροκοσὶ octogenariis omnigenis aquis lambendis sese accingere, atque gustu mire secernente centenas aquarum *species* discriminare, & quantopere polleant tentare, quæ fronte *alphabeticè* in aciem sunt redigendæ, in occasionem reservandæ, & præscribendæ, quando cuipiam horum lambentium libuerit, hoc vel hujusmodi julapium ordinare.

℞. *Aq. Endiv. Cichor. Borrag a.* ℥iij.
Aq. Lactuc. Nymph a. ℥ij.
Syr. violar. ℥ij. *vel* ℥ij ß.
M. f. Julap.

Sumat haustum urgente siti.

2. Julepus è sex constans aquis simplicibus, & forte à sex conclavi-docto-

ribus communi consilio (nam singulis aquam suam affundere volupe est) ad febris calorem contemperandum præscriptus, sequenti coquinæ præscripto parallelus est.

3. Sex coquorum collationem in lautum jusculum parandum suppone, quorum sit mandatum, ut aquæ Rhenanæ à longinquo, Basilea forsan (ubi loci pellucidior putatur) asportatæ, aquæ Mosanæ, aquæ Vahalis, aquæ fontis, *ana* libra una recipiatur, &c. Annon jure hos coquos è vacerra ceu maniacorum ædibus proruptos censeres ad congressum de prædicto jusculo, vel saltem superstitiosam eorum crisin hominum summam stultitiam superasse, eligendo aquam Rhenanam Basileensem, ne è nimia maris vicinia *Trajecti* ad Rhenum, vel alibi locorum salsedinis tantillæ particeps fieret. Atqui quod è plurium variarum aquarum confusione prosiliret præstantia adeo occulta, ut delectabile quid projiciat, est notio ex omni parte adeo quadrata

quadrata ei ab humuncionibus medicamentosis conceptæ, ex aquarum prædictarum confusione emanaturum quiddam expectantibus, quod earum nullius separatæ viribus deliteſcebat; quum revera differentia (si ullam concipere fas est) non alia intercedat, ac inter aquam pluviam Roterodami & Hagæ.

4. Destillandi aquas istas præceptum ab herbis solo laudabili & aere salutifero procreſcentibus, & nova luna bonum vel malum signum perreptante, duabus vel tribus præciſe post solis ortum horis, evulsis, insaniæ forsan specimen est, conceptiones vesanorum aquaticorum coquorum excedens.

Nihil tam crebro in febres indies *ordinarie* plurimorum præscribentium medicorum calamo subjicitur, quam istiusmodi Julepi, aquarum *variatione* æquantes campanularum sonos hollandicarum numero & mensura. Attamen nihil certius, quam quod aqua

fluminis vel fontis ſimplice deſtillatione rarefacta & digeſta æquivaleat, ſi non ſuperet, ulli earum, tam pro vehiculo quam pro contemperando; quinetiam avenæ perlatæ, vel hordei mundati decoctum cum utraque æquiparabile eſt. Aque hic quæſtionis movendælocus datur; Patiens divitiis affluens, ſex medicos de ſex aquis ſimplicibus conſultantes ſex aureorum nummorum præmio remunerans, an hic inſignior cenſendus eſt ſtultus juxta adagium anglicum, *ſtultus & pecunia facilè ſe mutuo relinquunt*; num ſex medici ingentiores ſunt tenebriones? Puſillanimitas, & mortis timor crebro ſpiritus animales depauperatos, & proſtratos in magnis morbis conſequentes, hominum ſapientiſſimos proclives reddere poſſunt ad manus exporrigendas alicujus rei umbræ, quæ auxilii imaginem refert, atque iſta de ratione iſtius in medicum exuperans profuſio potius ſubitarius raptus in intellectum cenſendus. Altrinſecus, medicus ſoſtrorum

rum immodicorum *acceptionem* tuetur excusatione dicti vulgati, sc. *Nihil liberius est quam donum*; nihilominus tuo subjicitur judicio, num hic incuriosè præscribendo, & raptim ac insolitè visitando, non extorqueat è patiente commutationem mercedis justæ & debitæ in enormem & luxuriosam.

CAP. XIII.

Recēnſens miram in pauperes medicorum benevolentiam.

ATqui ut de propioribus eloquar, Schema objiciam, quo candor & medica conſcientia, honeſtas, probitas, aut generoſitas, vel quocunque nomine exprimere fas eſt, ſex medicorum depingenda ſunt; quinam fuerint, vel cujus qualitatis, ubi locorum, & quando temporis ſunt reperiendi, certior fieri poteris ex illorum typis impreſſis ſchedulis platearum angulis affixis, & gnaviter per hoſpitia publica, & cauponas circumcirca à ſe ipſis, & doſſuariis diſperſis. En ergo Apographum ceu genuinum tranſcriptum, viz. *Animadverſio. Medici collegii, qui conſultare ſolebant bis per ſingulas habdomadas in ægrorum emolumentum in Conſultationis domo ſub ſigno angeli ſculpti, nunc quater hebdomade conveniunt; ideoque publicè notificant, quod*

diebus

diebus Lunæ, Mercurii, Jovis, & Veneris ab hora ſecunda poſt meridiem ad ſextam ipſos conſulere notis pauperibus, & familiis inferioris gradus pro nihilo licebit, atque quod expectanda & roganda vel petenda ab iis, qui ſunt ordinis medii, erunt moderata; ſed quod divites & nobiles attinet, liberalitas ab eorum qualitate & educatione eſt inſeparabilis. Monſtrum horrendum! fiunt mendici medici, praxin mendicantes, & non medicantes. Amabò qui & quales ſint, perpendamus; ſunt medici collegii numero ſenarii, Angli tres, Belga, Gallus refugus, & Germanus, lautum medicaſtrorum pulmentum. Cui autem libebit hujuſmodi ambire collegium, ſubcollegium dixerim, ab univerſo tamen collegio L--ſi ſtabilitum? Quorſum hæc tendunt, nimirum ut agyrtarum more patientum omnium generum cœtum convocent, ac inter allectos pauperes noti ſe ſiſtant, de quorum pauperie ipſis tamen nunquam conſtabit; oportet ergo ut pro conſilio, conſultatione, & medicamentis in domo angeli ſculpti

ſculpti una cum divitibus poſtulata perſolvant. At ſi pro pauperibus notis ab illis nonnumquam recipiantur perpauci, in honorem in ſchedula promiſſi conſilii gratis donandi, tantum pro medicamentis pretium in domo Angeli ſculpti ſatis carum tanquam ſoſtrum includens exolvent. A ſigno veri ſculptores appellandi, non minus quam impoſtores. Papæ! quid jam de charitate medica in pauperes ægros dicendum! Anne avaritia, ſorditudo, dolus, fraus, aſtutia, & tendicularum extructio illi ſunt ſynonyma? Nè his diutius immorer, ad alia me tranfero ſubjecto huic congenera, ſuppetit mihi memoria avaritiæ cujuſdam in hac civitate *Rhedarii* (Rhedam poſſidentis) Doctoris inſignis, non pridem hoſpitii carthuſiorum medici ordinarii è L---ſi Coll. quinos aureos patienti nobili (cujus liberalitas erat inſeparabilis, &c. prout in ſchedula ſuperius citata verba recenſentur) extorquentis in pretium ponderis granorum quinque pulveris cujuſdam *Huës* nominati, qui nihil aliud

aliud quam Turbith minerale correctum ſonabat, vel ad ſummum præcipitatum pſeudo-ſolare; at hic ipſe impudentiæ & infamiæ pœnas luit, perſolvendo tres Jacobæos aureos nutrici cujuſdam pannorum ſericorum venditoris, de ipſi, ad calces demiſſis femoralibus, formando fœtum adulterinum.

5. Annon alterius Rhedarii,& quondam apud ruſticos in agro ſuff---cenſ. Ludi-magiſtri, charitati addicendum eſt teſtimonium, matronam quandam necis mariti veneno è vita ſurrepti in foro juſtitiæ rureſtri inſimulatam ſcelere ſolvens; at illius teſtatio ſuſpicionis neutiquam expers erat, quum hanc poſtmodum uxorem duxerit. Mea opinione ejuſmodi teſtis in alius ſummæ conſequentiæ negotio æſtimatio juſtiſſime trutinanda.

6. Qui menſario ſortem ſuam concredit, ſi fraudem moliatur, leges creditori illius recuperandæ copiam dant; At medicum vitæ tuæ fidei-commiſſarium præſtituendo, uti conſuetudine

&

& exemplo ad unum omnibus in more eſt; ſi eam tibi per fraudem clanculum intercipiat, tibi pariter atque hæredibus tuis omnis ſatisfactio juridica reſcindetur, prout comicus poeta *Moliere* joco-ſerio loquendi modo deſcriptionem poteſtatis, authoritatis, juris, & privilegiorum in Diplomate medico conceſſorum, in tractatu comico cui *le malade imaginaire* titulus præeſt, tradit, viz. *Ego cum iſto boneto venerabili & docto, dono tibi & concedo virtutem & puiſſantiam, medicandi, purgandi, ſeignandi, pereandi, taillandi, coupandi & occidendi impunè per totam terram.* In facto, medicus in tantum vitæ tuæ dominatur, quantum ullus princeps per totum terrarum ambitum ſubditorum ſuorum bonis. Exempla ſatis numeroſa calida climata ſuppeditant, quibus medicus abditis ſuis medicinis perſonas illuſtres in ſuperiorem orbem transferendi potiſſima inſtituitur machina; diras iſtas ſupervenientes convulſiones, ſyncopas, dyſenterias, & febres lentas obducendi ſandyce, & colore umbratico

tico peritia imbutus est, illarum causas in subsidentium humorum fermentationem, Lunæ maleficos aspectus, & tempestatum vicissitudines obvertens. Typi hujusmodi praxeos tam antiquitus quam recenter formati satis superque suppetunt. Vitæ Ludovici undecimi elencho à *Meserayo* inseritur, Regis Arragonis filium primogenitum, bolo venenato ipsi à medico domestico exhibito, quem ob litem inter ipsos emersam, noverva ampla mercede in scelus allexerat, ad tumulum raptim amandatum fuisse. Cæsar Borgia atrociſſimorum facinorum perpetratorum gratias debuit medico, cui maximè fidebat. Verum historiarum lectio tantam venenatorum à medicis peractorum facinorum copiam in apricum ducit, ut eorum recensione hunc gravare tractatulum operæ pretium non sit.

Consule minuta fori in veneficos parisiis erecti.

CAP.

CAP. XIV.

Doloſi cujuſdam medici exemplum inſigne exhibens, ſimulque innuens plures artem medicam profitentium ejuſdem eſſe farinæ.

1. PRæmiſſo diſcurſu fuit obſervatum, nimiam de vita ſollicitudinem & credulitatem vecordem auxilii umbratici hominem haud raro in mortem certam præcipitem dare, dedignatione & aſpernatione dedecoratum, ob judicium vacillans ſpei cuipiam perfrictæ frontismedico affigendæ, cujus ſpecimen datur eo notatu dignius, quò magis eluceſcit in perſena verſutiſſima & conſultiſſima principis Ludovici undecimi Galliarum regis; atque iſtius paragraphi contentum, ſiquidem non minus ſtupefaciens ſit, quam univerſaliter perſonis ſummi ordinis, & abſolutiſſimarum animi & corporis dotium competat, obligationem id ipſum huc transferendi imponit.

imponit. Mentis continua occupatio populum effrænem ad tranquillitatem reducendi, corpus ipsius tandem fragile & tenerum reddiderat, quod medicis frequentes consultandi occasiones pariebat.

2. *Jacobus Cottier* Burgundus quò scopum attacturus foret, amborum medicorum absentia (quorum alter Scotus erat, post prælium Nancii, quo Burgundiæ dux cæsus est, captivus, atque à Ludovico probitatis illius & eruditionis ergo servitio suo retentus; alter erat *Draconis Beaucaire* academiæ monspeliensis Professor & Cancellarius) regis metu mortis, & de sanitatis recuperandæ sollicitudine exploratis, illi hanc extorserat quæstionem sibi proponendam, an ipsi curando par erat? *Cottier* homo doctrina vietus, & ad sublimem hunc in medicina gradum, Ducis Sabaudiæ gratiâ & commendatione provectus, responso dedit immo; cauto ut ipsi soli fisurus sit; & eo modo gerens multo melius ageret, notato quod cœteri medici ejus tempe-

temperamenti ignari essent; atqui quantum ad se, toto tempore quo ei inserviverat, nulli adeo incubuerat ac ipsius constitutionis notitiæ, & quod alii ad illam non multum respiciebant, neque munere probè fungebantur, nihil majore studio prosequentes, quam ut sibi opes acquirant; porro à Rege petebat, ne cæteris consilium ab ipso datum impertiretur. At sui respectu, quod assidue ejus personæ affuturus esset, remedia in ejus morbum, authorum priscorum lectionibus horis succisivis investigaturus. Atque quo intentiore animo ejus morbum volvebat, eo curatu difficiliorem offendebat. Quinetiam variis temporibus Regi secundo fato inserviverat; & ipso inconsulto, in hanc horam vitam non protraxisset, quatenus cæteri medici ei crebro valide purgantia & alias violentas medicinas imperaverant, dum solus ipse clanculum illorum præscripta correxerit. Ei alterius author erat mandati, ne ullus indè antrorsum cubiculum ingressurus esset, absque copia ipsi

ipsi à prædicto *Cottier* danda, atque mediante hoc sibi regis personæ regimen asserebat.

3. Atque ut à rege summam ineat gratiam, cum quodam *Olivario* le *Daim* ejus tonsore fœdus feriebat, at humunculo summe ignaro, licet Rex ipsum magnopere consulebat. Hic barbitonsor in eo Regem confirmabat, quod medicus ei antè recitaverat, atque iisdem mediis pharmacopœum ordinarium Regis benevolentia privavit, ei indicato, quod nunquam pharmacis illibatis instructus esset; proin ignominiosè exauctoratus fuit. *Ludovicus Guion* infert (è quo & *Johanne de Serres* hæc excerpta sunt) facile videre est, quam sæpe principes falsarum narratiuncularum exponantur fallaciis.

4. Rex tantam in tetricitatem vel mentis acerbitatem collapsus est, ut quum leoninos catulos ex Africa asportassent, quos expresse mittendos curaverat, ne unquam eos intueri volupe ipsi fuerit. Quodam inter cæteros die

die iracundus erat, & alicujus ipsi in cubiculo inservientis è servitio solvendi phantastice avidus, quia ipsi ptisanam tepidam bibendam tradiderat, iratius ait, se non solum illum è servitio expungere, quinetiam omnes totius aulæ ministros. Atque *Jacobus Cottier*, qui ibidem aderat, inquit: *sire*, me illis à te annumerandum esse, optime novi, veruntamen hoc tibi ratum facio, juramento addito, te post discessum meum octo dies non fore superstitem, ac hoc verissimum reperietur. Rex hujus hominis verbis adeo perterritus fuit, ut inde antrorsum tam propriam personam quam regnum, & omnia à se possessa dicti medici potestati concrediderit, & vel liberorum suorum vel uxoris videndorum occasioni se invitum præbuerit, cui facinori multum ipsius medicus contulit.

5. E patricio stemmate quidam *Compendii* oriundus, nomine *Cortevay*, duobus latrociniis perpetratis ad aulam profectus erat, ut delictorum gratiam

gratiam impetraturus foret, quam à regè deprecatus fuit hic medicus. Cancellario autem condonationis diplomati ſigillum apponendum renuente, eoque regi delato, ut ſigilla ſibi afferantur hic juſſit, & medicum *Cottier* præfectum ſummo regis cærario conſtituit, atque Cancellarius domum ſummo dedecore dimiſſus eſt.

6. Contigit, ut decem vel duodecim dierum ſtadio non multum pecuniæ ſigillis acceptum tulerit, de quo querimoniam Regi ægro ſignificavit, quod nihil lucraretur, quia ſe illi proximum perpetim haberet, & quod conſultando ac ægros viſitando multum compendii fecerit, ante quam ipſi adeſſe coactus erat, & quod ei ſupplex ſit, ut ejus ac meritorum illius rationem habeat. Rex qui vitam ſuam ab hoc medico omnino dependere arbitrabatur, metuens ne illum deſerturus foret, ſuo ſanctioris ærarii Tribuno (*threſorier de l'eſpargne*) præcepit, ut ei numerata pecunia quinquaginta quatuor

tuor coronatorum millia (quæ isto ævo sexies vel septies centum coronatorum millium summam hodiernam æquabant) persolvantur, atque majorem multo numerum nactus fuisset, si nummorum tantundem in ejus arcis reliquum fuisset, pro cura de illo habenda quinque tantum menses. *Mezeray* prout recordor eandem pecuniæ summam historiæ insevit; & insuper Episcopatum Ambianum istius nepoti collatum iri suffragabatur, atque omnes ejus amici & consanguinei eximiis & opulentis statibus dotati sunt, quales voluntati ipsius congruebant. Rex morbo detentus ei copiam ad placitum agendi dedit, neque ipsi ullatenus adversari ausus fuit.

7. In tantum marcorem & aridita-tem rex fit prociduus, ut medici hujus culpâ figuram Σκελετὸς potius quam hominis retulerit, quandoquidem melancholicum & aridum ejus corpus tam succis nutritiis quam medicinis moderate humectandum & calefaciendum erat; atque ei solite vinum & caponem

nem elixum appetenti, licet ipsius sanitati satis congruerent, nihil horum concedendum esse nefario huic medico collubuit. Recitat *Mezeray*, quod sanguinis puerorum balneo in humores edulcandos, medico suo annuente, se sæpius foveri siverit. *Cottier* demum ei odoramenta acria ad suffienda vestimenta & capillos præscripsit, quorum nimius usus regem in spasmos & animi deliquia propulit. At brevi post tempore angor præ morte ingruens stimulo alterius remedii capessendi, perinde dolosi & inepti, ac exosi impudentis audacis medici (cujus indolis Doctorum prætentorum magna pars sunt) consilium fuerat, eum perculit. Quidam *le Sieur Lavardin* regem vita defraudatum ratus, eum videre firmiter decrevit, medicumque affatus est, quod confessionem facere, & sacro-sancto frui sacramento regem deceret, atque quod eum vitæ termino non procul abesse probe nosceret. At huic medicus asserit, quod idipsum tam bene sciverit, quam

qui-

quicunque alius, & quod discrimine non vacaverit res, siquis eum de ista materia alloquatur, quandoquidem de vita sua dimidium annum præteritum formidavit, atque de idgenus subjecto si sermo cum eo habeatur, præ timore sanè animam exhalaturus est. Nihilosecius *Lavardin* regem palam allocutus est, quod si curari avebat, quod singulis hebdomadibus confessionem recitaret, & sacro-sancti sacramenti se participem faceret juxta altare, & quod ipsius pater centum annorum senex, & valetudinarius, istis mediis sanitatem recuperaverit. Rex consilio victus se ei assensum præbere inquiebat, conditione ut religiosus quidam nomine frater *Philippus*, ætate senili, morum, & vitæ probitate, nec non doctrina præclarus, & *sancti Martin* abbas, isto fungeretur officio. Hic regem accedens, confessionem ejus exaudiendo, illi palam facit, quod ipsi in hoc incumbendum sit, ut omnium latrociniorum & rapinarum, mandato ipsius commissorum toto vitæ curriculo

culo gratiam à Deo deprecetur; & ei conſulebat, quoad poſſibile, ut omnibus rationibus de injuriis illis ſatisfaciat, quibus poſſit. Inter alia, quod Franco-comitatus incolæ, licet omnes fere ipſius obedientiæ ſubacti ſint, nihilominus milites oppidò deteſtanda & facinora inſolentia & cogitatu vix poſſibilia patrarent. Ei indicato, ſiquidem Deus ſervo ſuo bono Davidi aſſeruerit, hunc templum iſtud ſpendidum nunquam inculturum eſſe, cujus extruendi in ejus dedicationem ipſius inſtitutum erat; quia bello ſanguinis humani tantam copiam profuderit, & actus hoſticos perquam numeroſos committendos præceperit, quod eadem ratione ſe à ſacro-ſancto ſacramento ipſi adminiſtrando ſubducturus foret Deus, & damnationi eum adjudicaturus eſſet; proinde genti ſuæ iſtos agendi modos interdicere, & regni vectigalia eundem in ſtatum, quo primo repererat, reducere ipſi incumberet; quippe populus ſummæ egeſtati ſubactus erat, & magna pars inopia perierat.

erat. Reſponſo dedit, quod rapinarum & ſpoliationum iſtarum ne tantillum ipſum pœniteret, quin potius impensè doloret, integrum terrarum tractum Burgundiæ Duci ſubjectum, in pari non eſſe ſtatu; & quantum ad vectigalia populo abipſo impoſita, quamprimum morbo curando liber foret (non ſecus) illum iis exempturus ſit; præter ea nihil ab eo obtineri potuit. Quocirca illius pervicacia notata, ne extra confeſſionem & ſancti ſacramenti *participationem* vita defungeretur, probum religioſum monachum precati ſunt, ut ei abſolutionem & ſacramenti communionem elargiatur, quod ab iſto factum. At mihi non occurrit, quod tempora oleo alleverit, ut lubricior Purgatorium trajiceret. Exinde comedendum tantillum conceſſerunt; at nequaquam potuit, fœtoris ingentis ratione, ajebat, è corpore cerebrum petentis; quamobrem ut odoramentis eum ſuffirent præcepere; quod diutius peregere, atque iis recipiendis animam exhalavit; & inquit *Mezeray*, en quam vulpi

vulpi annosæ similis totus fumificatus mortuus est.

8. Medicus ejus *Jaques Cottier* post Regis obitum domum suam se recepit, viginti quinque librarum gallicarum millium annuatim reditu locupletatus, quæ isto tempore valore tredecim vel quatuordecim librarum (*Sterling*) millia excedebant. E Computationibus à quæstoribus fisci (*de l'esparne*) transmissis liquebat, ei ab his octoginta & duodeviginti coronatorum millia annumerata fuisse.

9. Carolus octavus præcitati regis filius suppositus (etenim fatur *Mezeray*; illum suppositicium fuisse plurimi suspicabantur) ut ille in judicium vocaretur jussit, quo in eundem agendum esset de repetundis, vel potius de restituendis bonis pecuniisve manantibus à donis immodicis, & omnem rationem exuperantibus. Atqui rege pecuniæ & cæteris in iter Neapolim faciendum parandis occupato, *Cottier* illi quinquaginta coronatorum millia, tanquam mutuo data, tradidit, & isto

modo cauſam in eum forenſem in fumum abire ſiverunt. Ejus ſocius barbitonſor *Olivarius* ſupradictus, latrocinii damnatus, patibulo affixus fuit.

10. Præmiſſæ narrationis conſequentia hiſce concedendis quodcunque judicium ſanum reddere propitium valet. 1. Quod Principes aliique magnates haud raro imperitiſſimorum medicorum ſervitio utantur, & quod illorum munificentia nimis profuſa non tantum vigoris horum curæ vel ſedulitati addat, quantum accrementi ſordidæ avaritiæ; at hæc ubicunque fuerit inſaturabilis, ut plurimùm morbum in maximam protrahit longitudinem, & ſic cordæ inſtar nimis protenſæ ſæpius diſſilientis, mors ex inopinato introducta ſoſtrorum tranſcendentium præmium fieri poteſt. 2. Quod ſummorum medicorum fama portentoſa ſit gratioſorum rumorum a mendico ad magnates,& inde ad Principem ſparſim propalatorum concatenatum figmentum. 3.Quod ſacerdotes ceu *Jeſuitæ*,ac medici in unum coeuntes & coagmentati,

tati, prævalida influendi vi in ægrorum tam oppido nobilium, illuſtriſſimorum, honoratiſſimorum, quam ignobilium animi & corporis facultates, præditi ſint; & inde deſpoticum jus in illorum bona, ſecreta, & vitam ſibi vendicantes, in inſtrumentula formantur, ad acquirendum, propagandum, & conſtabiliendum *Papali ſuæ Sanctitati* imperium univerſale in *Chriſtianiſmum*, & omnes *Chriſtianos* aptiſſima; quæ, ut hæc organa energia & virtute inſigniore imbuat, tam hos quam illos per totam Italiam in diverſa Jeſuitarum & medicorum collegia diſpeſcuit, minime ignorans, *Vim unitam eſſe fortiorem.* En proin ſpecimen binorum horum *influxuum*, quam mirifice in unum effectum coaleſcant. Imperator Carolus quintus, quod ipſi Franciſcus primus viribus longe impar eſſet, piis Jeſuitæ cujuſdam Gallorum partibus faventis, & ad hoc negotium à ſua *æquilibrante Sanctitate* auctorati, argumentis incitatus erat ad ſolium ſuum abdicandum, ut monaſterium incolat; unde gloriæ ipſius de-

clinantis radii, calorem in Hiſpanis ſuis ſubjectis etiamnum foventes, ferventiſſimum deſiderium in ipſis principis recuperandi accenderant; atque ut his obviam eatur, in accelerandum principis curſum ad *infra-horizontales*, macerantes pœnas vigiliarum, Ave Mariæ, precum, & aliarum caſtigationum geminat Confeſſor *Jeſuita*. *Conventûs* medicus à diæta ſubtrahit, & arida ejus membra purgationibus depauperat; adeo ut horum amborum ſtatus vel *Politiæ* inſtrumentorum harmoniâ & operâ, illius ævi potentiſſimus Monarcha, & ſapientiſſimus Princeps curſim in materiam primam redactus ſit. Hoc erat *un trait achevè de la politique*. Adriano Imperatori, prout refert *Petrus Meſſias*, medici, quorum plures ſervitio ſuo retinebat, conſulebant, ut neque ederet, neque biberet; at hoc flagitioſo conſilio, & fame fractus, diem obiit, ſub articulo mortis vociferans, *Turba medicorum interfecit Regem.*

CAP.

CAP. XV.

De tutis & assertis modis, prioribus analogis, venenis interficiendi, & destruendi.

PLures reperiuntur tramites ad patibulum ducentes, quam ad templum; methodi veneficæ antiquatæ exoluerunt, alterius à subtiliter inventa *Circulatione* dependentis ergo, qua nuda facie & solis lumine idem attingitur finis, qui æque medicinarum infontium respectu approbandus est, ac cautæ plebeculæ fuere vafre impositæ istæ. Fratrem natu majorem febri continua suppone decumbentem, unica vel altera Extracti Catholici ceu Rudii (medicinæ à doctoribus & patientibus permagno æstimatæ, & à cano-barbato medico sub ipsius autographo & sigillo in consilium datæ, & auro portabili perquam compensatæ) dosis perpaucissimis diebus fratri ætate minori, successioni primogeniti inhianti, respondet.

Quid criminationis autem vel jus, affines, vel vulgi clamor indicendum habent in medicum vel ipsius medicamentum, quod in hoc casu & pluribus aliis non minus crebro opus agendo deficit, quam decantatissimum venenum? Sanguinis ductiones longo tempore post accensam ejus speciei febrim imperatæ, æque frequenter fatali prosternunt ictu spiritus succumbentes, procul omni adstantium replicationis periculo. Fœmina hystericorum paroxysmorum geminationibus in diuturnam virium fragilitatem perculsa, violento cathartico deglutiendo, modica licet dosi, præcipue si repetenda sit, inevitabilem in tumulum præcipitatur; quo casu medici sub potestate est, marito vel patri favere expendendorum diminutione, absque ullo discrimine honoris, vel rationis collegis ipsius vel populo reddendæ de hujusmodi praxis necessitate; Etenim quicquid à medico ignorantia, imperitia, vel judicii errore, & à patientibus, & mulierculis, aliisve his deservientibus,

vientibus, negligentia peractum, crimen extenuare vel infortunium abscondere valeat; id ipsum ex instituto, & voluntate (quandocunque magnificenter remuneratus fuerit) sub jure & potestate doctoris est, colore ac tegmine præfatorum prætextuum tutè & impune agere. Omnes patientes præcipitandi modos describendi pensum in magnum volumen compingendum rediret, ac proinde universalem cautionem, cui particularia referri possunt, tradidisse sufficiat.

CAP. XVI.

Præcedentibus discursibus variis interlocutionibus tui eidem subjecti nimis intenti animi divertendi causa, interpositis, adingentis aquarum simplicium numeri futilitatem examinandam accedo, quæ ex sequela instrumentulorum vicem nihil efficiendi agunt, & ea de re tanquam media propria ab Arte Expectationis instituuntur.

1. BOrraginis, Bugloſſæ, Endiviæ, Cichorei, Taraxici, Portulacæ, Lactucæ, & idgenus aliæ diſtillatæ aquæ, guſtatu, odore, cæteriſque qualitatibus ſuppoſitis, nihil vel tantulum fiumineas deſtillatas præcellunt; atque refrigerando, humectando, aut aliis requiſitis minus operantur, quam hoc elementum poſtremum. Atque in nullo magis deceptu ſubditus eſt, vel bardiùs patientibus imponit medicus, quam *Quercuum Germinum, Equiſeti, Plantaginis, Burſæ paſtoris, Millefolii, Polygoni,*

goni, &c. destillatas aquas præscribendo, astrictionis vel repulsus causa, cuius quippe qualitas partibus illarum herbarum terrestribus potissimum prognascitur; quas neutiquam Alembici vel capitelli conscendentes sublimitatem, nullo modo destillatione transfluxuras fore putandum est; proinde *præscriptor* (præscribens) judicii errati summi, decocturam id genus simplicium destillationi non anteponentis, insimulandus est; quia astrictoriis qualitatibus liquor impertitus gustui videtur, gradu æque inferiore vel superiore, ac ingredientium proportioni respondeat. Non dissimile peccatum destillationibus *Sympthyti*, *Malvæ*, *Althææ*, lumbricorum, cæterorumque omnium committitur, quorum potissimi effectus promanant à lenitente & lævante *mucagine*, quæ alio modo quam expressione & decoctu extrahi nequit, quandoquidem particularum mucosarum (e quibus illa consistunt) pondus ipsarum ascensui tam sublimi, quam ad Alembici capitellum usque, indubi-

indubitato vertitur obſtaculo. Quid riſu dignius afferri poteſt atque *Urticæ*, *Hederæ terreſtris*, *Fumariæ*, *Agrimoniæ*, & *Veronicæ* deſtillatio, quarum redundans inſipidum phlegma guttatim tantum colligitur, ut nulli uſui inſerviat, præterquam amphoris vitreis adimplendis, quæ vere proximè inſequente in cloacas evacuandæ ſunt? *Urticæ* ſucci uncia unica virtutibus integrum ejus aquæ diſtillatæ congium ſuperabit. *Fumariæ* vel *Hederæ terreſtris* decocti vel expreſſionis cochleare plus virtutis *ſpecificæ* (ſpecialis) poſſidet, quam ex illis deſtillati humidi amphora. *Papaveris* aqua prorſus eſt rejicienda, quum hujus ſyrupi unica guttula uberiori facultate ſit imbuta, quam illius integra libra. Omnium amararum herbarum, veluti *Abſinthii*, *Cichorei*, *Helenii*, *Marrubii*, *Chamædris*, & *Chamepytis* dotes aperientes (*aperitivæ*) in vaſis *deſtillatorii* fundo ſunt reliquæ, quum liquor ab his ſecretus vix manibus lavandis ſit idoneus. Promptius adurentur, vel empy-

reuma

reuma patientur in vaſorum deſtillatoriorum fundo, quam acorem in Alembicum eructabunt Acetoſa, mala *Medica*, *Limonia*, *Anarantia*, & alia acida *materialia*. Stercoris boum deſtillatio aptius latrinarum ſcopariorum negotio, quam adeo nobilium doctorum profeſſioni competit, qui eam conſultò venerando ipſorum diſpenſatorio inſerendam curaverunt. Tantumne vecordiæ cujuſpiam medici doctoris, vel clinicæ aniculæ fidei affigi poteſt, ut deſtillatione abſtracta ab hirundinibus, vel picis aqua unquam temporis epilepſiam, vel ullam ſpaſmorum ſpeciem extirpaverit? Deſtillandarum aquarum numerus & delectus talium vegetabilium limitibus circumſcriberentur, quæ particulis volatilibus exuberant, & quorum odor fragrans ſimul cum madore tranſmigrat; & ex his neceſſaria tam pauca ſunt, ut decem vel duodecim paratorum vehiculorum & aliorum uſuum vices ſupplere poſſint. Quocirca cui inſtituto Doctores Auguſtani in Pharmacopœa, & alii

hos

hos imitantes in suis centum plus minus aquas simplices destillare Pharmacopœos jubent, nisi eorum officinam in ipsorum frustratam molestiam & dispendium in puteum convertant; & nihil minus illis male volunt impediendo, ne jacturam ipsis, istarum annuatim in foricam profusione, illatam resarciant, graviora pretia talibus imponendo medicamentis, quæ vendere ipsis continget; adeo ut illo sensu ex undecim assibus non sit solidi integri quæstus, at potius ex solido duodecim assium damnum; de quo miserrimus *Apothecarius*, qui domus pensionem, & omnis generis vectigalia persolvere cogitur, ipsorum *Doctoratibus* summè est debitor.

In pharmacopœa Hagiensi formanda jam pridem suffragii vice tanquam istius medicorum collegii socius potiebar; ne ullus singulariter tantum à collegis cæteris obtinere valebat, ut viginti duas solùm aquas simplices ibidem insertas redacturi forent ad decem vel undecim, quæ meo arbitrio omnibus

bus intentionibus & usibus satisfacere videbantur; nihilosecius istud dispensatorium numeri exiguitatis, medicinarum delectus, & correctionis ratione cum ullo priore comparando primum inter omnes editionis antiquioris Pharmacopœas locum vendicare sibi potest, licet multos non caverit errores, quorum cætera omnia damnari possunt veluti in posterum in singulis recensebitur

A floribus *Anthos*, *Tiliæ*, *Lavendulæ*, *Liliorum convallium*, *Pœoniæ*, & aliorum *cephalicorum* simplicium destillatæ aquæ (quatenus nulla proportione illorum simplices facultates harum destillandarum dispendio & fastidio æquivalent) nullum in dispensatorio locum merentur, potissimum respecto, quod omnia in variis compositis Epilepticis, & Apoplecticis spiritibus contineantur, quibus facultates & virtutes exaltantur, & vini spirituum ope ubertim extrahuntur, atque usque ad quemvis gradum ullius temperatæ aquæ commistione subduci queunt.

Quantum

Quantum ad *Abſinthii*, *Angelicæ*, *Juniperi*, *Aurantiorum* corticum, Menthæ, *Limoniorum* corticum, & claſſis ejuſdem viginti plurium Spiritus, vel *ſpirituoſas* aquas, potius cenſendæ ſunt cauponæ crapulando dicatæ appendices, in guſtum debacchantium vini ardentis bibaculorum, quandoquidem à binis vel ternis Epilepticis & apoplecticis ſpiritus propulſi cum omnibus indicationibus potentius & naturæ congruentius adæquaturi ſunt, citra fruſtratas ejuſmodi multiplicationes, pro Philoſophorum memorandis dictis binis, *Entia non ſunt multiplicanda præter neceſſitatem. Fruſtra fit per plura, quod fieri poteſt per pauciora.* In imo vaſis *deſtillatorii* alacriores particulas *ſimplicium* componentium Aquam Hyſtericam qui miſſas faciunt, poſtquam fœtidam inde elicuerint aquam, maximæ inſipientiæ vix ſunt immunes; ſiquidem quatuor quinqueve ex ingredientibus validioribus, veluti ſunt *Ariſtolochia rotunda*, *baccæ ſambuci*, *pulegium*, *myrrha*, *& cortices anarantiorum*,

rum, tincturæ modo macerentur, vel digerantur in vini ſpiritibus, horum expreſſionis ſemuncia præſtabit deſtillatarum aquarum libræ integræ. Neque Bryoniæ prætextus, diſcutiendis *hypocondriacis*, falſo ſub nomine hyſtericis vaporibus dicandæ, menti ſubire poteſt, quum validum & nauſeoſum ſit emeticum & catharticum, ac magis exitioſis talibus orgaſmis, & ſufflationibus excitandis, & irritandis ſit habile. Miranda qualia Chelidonium, ac unum vel alterum aroma faſtidioſum inter cætera in aqua mirabili ſuſcitare valeant, non tam mirandum mihi quam eorum phræneſis, qui eam concinnaverint.

Aquæ Cæleſtis, *Imperialis*, Theriacalis, frigida Saxoniæ, Gilberti, aliæque aquæ diſtillatæ ſunt promiſcuæ & analogæ denominationes, omnibus abſurdis affluentes, quæ, juſtam Theriacæ Andromachi cenſuram, aliaque obſervata in compoſita legendo, obviam habebis.

Qui-

Quicunque ab Aqua *Quercetani* therebinthinata fuerint peracti effectus, therebinthinæ tantummodo sunt concedendi; alia ingredientia, nempe *semina Lactucæ, agni casti, &c.* (prout in syrupi castitatis ceu agni casti refutatione palam fiet) sunt prorsus inepta, & nullius significatus.

Nihil intensiorem hebetudinem probat, quam fides denegans virtutem uberiorem latere in caponis juris cochleari uno, quam in Aquæ caponis congio; qua de re, *Exceptis medicis nihil stultius grammaticis.*

Quid insaniæ conformius, quam Aquæ Scordii compositæ spectabilis concessus à medicis locus in pharmacopæis?

Plures castigationes demeret Aqua Epidemica. 1. Scorzoneræ radices nihil volatili præditæ, minus alexipharmaci & antifebrilis destillatione exudant, quam hordei vel avenæ *granulatæ* farina. 2. Pœoniæ radix potissimas depromens virtutes è parte sua terestri, in cucurbitæ fundo subsidet, præter

languidos

languidos vapores nihil ſurſum exhalans. 3. Ultra odores non apprimè gratos, & quaſdam cephalicorum particulas oleoſas potenter calefacientes, nihil ad propoſitum in tota compoſitione animadvertere queo. 4. Aquam fontanam optimis vini ſpiritibus perfundere, eſt oleum & operam perdere, quandoquidem bonum vinum ardens (*brandy wine*) vel ſpiritus vini non rectificati dignius eſt ſuccedaneum. Adeo ut totum hoc chaos vel confuſio cæteris omnibus in vulgariis diſpentoriis haud ſit abſimilis. 5. Fœces & reſiduum hujus, & aquæ theriacalis poſſident, quodcunque præſtantiæ in compoſitis illis ſupponi poteſt. Spiritus Abſinthii deſtillati magis nauſeoſam & nocuam herbæ partem retinent, relinquentes quicquid uſui maxime inſerviat, in vaſis *deſtillatorii* fundo.

CAP.

CAP. XVII.

De Aceti Medicati vario genere, & vinis, nec non de vinis Emeticis.

1. NUm in usum coquinarium, vel pharmacopolii, tantæ aceti species sint excogitatæ, homini bene morato ambigere licet. Acetum sambucinum coqui suo vendicant usui; acetum Anthosatum, Calendulatum, Garyophyllatum, Rosatum, scilliticum, Theriacale, cæteraque medicis doctoribus devovent; inter quos vix centesimus est, qui toto praxeos curriculo unquam illorum guttam præscripserit, nisi odorandi, vel parti illi vel alteri inflammatæ, Oxycrati forma, applicandi causa, quod proximis horsum annis prorsus rejectum fuit. Cui ergo proposito officina illorum onere gravatur? Attamen si cuipiam juveni medicastro semel durante vita experiri vacaverit, num acetum scilliticum ista miranda mendacia, à Galeno ei adscripta,

ſcripta, perficere valeat, ejuſmodi medicamentum (pro re nata) ſatis bene abſque quadraginta diebus inſolando, præparari poteſt. Atque quum certior factus fuerit de illius ſublimitatibus, non admodum intentus ipſi animus aderit, vini ſcilliitici tentandi, in iis præſertim, qui arnandi paſſione laborantes, fœtidos reſpirationis halitus, & medicinam nauſeoſam vitare conantur, & quamobrem ergo in Diſpenſatorium intrudendum eſt?

2. Quiſpiam ſenſifer ſibi Vini Benedicti uſu ſatisfactum iri putabit, abſque *Vini Helleborati uſu*, *Rubelli*, vel *Antimonailis*, quæ nimis crebro in diras convulſiones patientes proturbaverunt; atque horum memoriæ Hippocratis aphor. 1. lib. 5. Commendatum habeam. Σπασμὸς ἐξ ἐλλεβόρου θανάσιμον. Mors quæ tam ſæpe helleborum album comitata fuit, non tam Hypercatharſis, & inanitionis extremæ vel ſiccitatis ſequela fuit, quam qualitatis venenoſæ, nervorum integrum ſyntagma contorquentis, & cerebrum venenantis.

nantis. Quare igitur medicinæ tam veneficæ in dispensatorio locus concedendus?

3. Risu liber, macidem infusioni croci metallorum additam, & caryophyllos vitro antimonii infundendo adjectos, præterire nequeo; regulus atqui, qui æque diabolum agit ac eorum alterutrum, neque *macere*, caryophyllis, nuce moschata, nec cinnamo in vino antimoniali stipatur. Quantum ad caryophyllos & macim; vel eorum officium corrigendo antimonio, vel stomacho corroborando destinatur; si priori, turpissime hallucinantur; etenim *maceris* dragmæ decem non tantum antimonium corrigunt, quamtum nitri granum unicum. Si stomacho corroborando incumbunt, tunc medicamenti operationi obstant, quæ in infirmando, irritando, & provocando stomachum consistit, ut mucosorum & bilioforum humorum, qui eum opprimunt, amplexum missum faciat; Atqui stomachum corroborare, est moderate ejus fibras contrahere aromatum istorum qualitate

qualitate astringente, qua pariter colligantur humores, & arcte conpinguntur, quæ omnia vomendi intentioni obsistunt. Si de stomachi debilitate metuis, medicamenti parcius exhibe; atque tunc assines mei dignissimi, post operationem peractam pravorum humorum sarcinam sursum propellendi, accedite cum vino rubello macis, caryophillorum vel cinnamomi saturo, quod in ægri emolumentum & vestrum servitium cessurum est. Pendite quæso; suppone, quod vestris Sapientiis res consona videretur, ex Aqua tepida cum olivo mista vomitorium consulendi, si in eo *macere* vel cinnamum coquendum præciperetis, ipsæ clinicæ aniculæ & vicinæ totius pueri vos risuri forent. Quid; macis & caryophylli in vomitorio? Idem est ac à te detrudere & simul ad te attrahere. Est autem hoc axioma, quod ipsi rustici absque logicæ opera refutarent. Quapropter culpam mihi imputandam offero, de aromatibus illis *Indicis* deinceps à pharmacopœis omissis in his, &

& hujuſmodi medicamentis. Porro notandum, *detonatione*, *ſublimatione*, præcipitatione, vel digeſtione veneno exuenda, aſperitatem ipſis lævandam, & corrigenda eſſe *mineralia*, priuſquam corpus humanum ingrediantur.

4. Unquam ne his *medicaſtris* tam proſpere res ceſſit, ut vini Euphraſia imbuti opera viſum cæco recuperaverint, vel vino anthoſato cerebrum facultatibus proſtratum erexerint? Vinum tam cerebro quam oculis noxium eſſe experientia ſuffragatur plebeja, quorum utrumque nimis crebro hunc liquorem potitando expunctum fuiſſe ſatis conſtat. Apagete præ turpitudine hæc ex omnibus diſpenſatoriis. Oblitus ferme fueram notandi *crociMetallorum* incommodi, nempe quod diutius ſervatæ infuſionis virtus depereat, atque inde abſque exerenda vi emetica incaſſum ſæpius aſſumatur, cui vulgò occurritur antimonium in vino linquendo, & per vices molliter commovendo. Hoc non redintegrante vinum emeticum, oxymel *vomiti*

mitivum hunc defectum non ſolum arcebit, verum aceti ope iſtius *mineralis* facultates exorbitantes cohibiturum, operationem ejus ſtimulaturum, & ſpiſſos mucoſos humores attenuaturum eſt. Adeo ut, me ſuffragante, vomitoriis omnibus præcipitatis expungendis ſolum hoc ſubſtituendum ſit. Aquas ſimplices quod attinet, octo vel novem exceptis, omnes ablegandæ; medicata iſta aceta, præter acetum deſtillatum, exterminanda; & vina medicata ad illos, quorum guſtui grata fuerint, amandanda ſint.

CAP. XVIII.

De Syrupis medicinalibus, & Conservis.

1. DE infimo situ aqua cum terra concertat, at in officina medicamentaria supremum ista occupat, & huic proxima regio muscarum & vesparum est dominio, frequentantium Syruporum vasa præcipua ornamenta, notæ, & signa opificii genus distinguentia. Proximo loco gratiam mihi concedite in horum interanea & contenta penetrandi; non omnium, hoc enim Atlanti magis conveniret; at illorum, qui potiorę sunt in usu, & pariter fatiles. Simplicia in Syrupos convertendi institutum collimat ad ea totam hyemem conservanda, quâ viridia non sunt reperienda; vel ad ea gratiora reddenda; vel ad eorum formam, quâ in quavis potione, decocto, vel Julepo prompte dissolvi queant. Quantum ad primum, herbarum vel radicum usuariarum plurimæ tempestate sævissimâ

ſimâ comparari poſſunt, ſin minus vegetæ, tamen maximè languidæ alaciriores in decoctum virtutes exhalant, quam in Syrupo ſupponi poſſunt; qui nihil aliud eſt, quam decoctio vel ſuccorum expreſſio, quorum particulæ agillimæ evaporando, vel decoquendo, in fumum vel in mucum, & ſedimentum ſecedunt, quod citerius ebulliendo, & ſacchari ſufficientem portionem adjiciendo, in Syrupum tunc eſt ſpiſſandum. Hoc aceſcente in corrodentem indolem, ad inſtar omnium ſaccharorum, & ſaccharo præparatorum medicamentorum moris, (ſive ſint *Conſervæ*, Lohoch, *Rotulæ*, ſimiliave) ingravandus, lædendus, & morbo affligendus eſt ſtomachus. Inſuper, Plurium vegetabilium ſervatorum ſiccorum nonnulla eo (ſc. ſicco ſervando) virtute amplificantur, & alia non multum mutilantur. Quantum ad materiam grati; qualia fragrante odore ſunt dotata, nimirum Roſæ, Violæ, Garyophylli, &c. ad Syrupos ex eis abſque coctione parandos, apprimè

idonea habentur. Postremum istud indigitans, quod solutu promptum sit, (quæ estratio de asserenda Syruporum necessitate comprobata) in Syrupo de meconio sive Diacodio, nonnullis Syrupis purgantibus (junioribus, & iis quorum gustus sacchari dulcitudine demulcendus est, dicatis) & Syrupo lævante & leniente, sicuti Althææ Syrupus est, locum habere potest. Sub finem, octo vel decem Syrupi intentionibus & propositis necessariis omnibus abundè satisfaciendo sunt. Præterea, quod in pluribus Syrupis mel, moderatè detergentibus & diureticis facultatibus donatum, saccharo sit anteponendum, ulteriore non indiget argumento, cujusvis ratione præditi medici propitium reddendi assensum.

2. Prætermissis generalibus, particularium examen mihi incumbit, in quo à littera. A, initium esse ducendum, methodus maximè docet. Syrupus de Agno casto, vel Syrupus Castitatis in utriusque sexus Monachis gratiam denegandam, ut horum cupidinum

dinum turpium cursui obsistatur, concinnatus est; Atqui quoniam providentia miranda ab eorum scelesto sodalitio liberati sumus, hujus Syrupi descriptio in ipsorum pharmaceuticis indicibus obliteranda est. Quod *Endivia*, *Lactuca*, & *Portulaca* humani generis propagationem supprimendi noxam, simul cum agno casto inferant, Germanorum & Gallorum testimonia ex opposito refragantur, qui totos annos illas uberè pascuntur, & nihilo-secius numerosam generant prolem. Semen cannabis alterum ingrediens, columbis munificè in potentem succum cedens, eos ad crebrius generandum procliviores reddit, quam si eo carerent. Juscula confecta è lentibus & coriandri seminibus (quæ totius compositionis sunt basis) citra omnem dubitandi aleam sunt validi in venerem stimuli. Quandoquidem eorum in hoc genere conatus adeo ridicularius videtur, illis remedium in petulantiam probatissimum detegam. A matuta ad vesperum in telluris tenacis portione

se pala exerceat patiens, postmodum illi in vespernam Jusculi avenacei tenuis, cum pauxillo micarum panis intinctarum, dimidiam libram cedo; quod methodus hæc in octo vel decem dies producta, confidenter affero, absque unica ipsorum Castitatis Syrupi guttula integram medicationem absolutura sit.

3. Incassum adaugentur Syrupi, qui iisdem pene ingredientibus saturantur, attamen in varios fines instituti; ve luti Syrupus Arthemisiæ, & Syrupus Chamæpytyos, prior fœminina provocanda menstrua, posterior arthritidis medicationem moliens; tanquam si *catamenia* supprimens causa eadem esset, quæ arthritidem generans. Quidpiam potestnè esse futilius? At Syrupi hi simplicium validâ turmâ constant, æque indigestorum, ac per totam vitam unquam videre mihi contigit Si præter Syrupum nihil satis est, quo animum expleas, qui ex Helenii radicibus, pulegio, & myrrha conficiendus est, priorem

orem mille paraſangis ſuperabit, vigeſimæ tantum moleſtiæ & impendii partis pretio.

4. In Syrupi Althææ præparatione, cui fini ejus decoctio radicibus aſparagi, graminum, foliis parietariæ, malvæ, plantaginis, capillorum veneris, uvis paſſis, & octo frigidorum ſeminum omni genere gravabitur, quæ Althææ radicum & Cicerum primariam operationem præfocatura, eique obſtructura ſunt, ſc. dilatandi, laxandi, lubricandi, & blandè protelandi? Omnis hujus farraginis & quiſquiliarum loco, radicum Althææ, Cicerum rubrorum, & glycyrrhizæ anglicæ decoctionem para, eam cum putiſſimo melle in ſyrupum coquendo. At ſi millepedarum centenum unum vel alterum (ſc. numerum) carbaſo alba incluſarum adjeceris, ſyrupum odore recenti, guſtu, & virtutibus ejus generis ſyrupis omnibus unquam inventis præſtantem nanciſceris. Atqui ſyrupi hujus potienti quid glycyrrhizæ, Hyſſopi, *Jujubarum*, *mucaginum*, vel cæterorum

pectoralium ſyrupis opus eſt; dummodo tui juris ſit extempore & pro re nata, patienti, vegetabilium incidentium & abſtergentium, vel talium Indicationi tuæ conſonantium ſyrupo (ſi neceſſe fuerit) edulcandam decoctionem conſulere. Similiter *Linctus* omnes ſunt ſupervacui, quandoquidem eorum vice facilè alia fungi poſſunt. Superfluum eſt Syrupum de Roſis ſiccis, Myrtheum, & de Symphyto adjicere decocto, à te in propoſitum tuum præcipiendo, cui ſingularis unus ex illis ſatis ſuperque ſit; niſi *Medicaſtritati* tuæ lubeat compoſitorum tautologia *Apothecarium* in ambages ducere, & illius opinioni imponere, quod compoſitioni myſterium inſit, nè œſtro imitandi medicum pungatur iſte myropæus, atque ut iſto modo praxin medicam ſibi ſoli aſſerat medicus.

5. Syrupus *Rhabarbari* ſi in faſtidioſorum guſtuum & puerorum gratiam figuretur, *Rhabarbarum* ſanè prætermittendum eſt, quo nihil minus eſt gratum, præſertim ſtomacho ſordibus affluenti.

affluenti. An non insignis est stultitia, violarum flores addere, quasi *menstruum* nimis saturandi conatus syrupo non sit detrimento? Atque infusionem in Betonicæ, Cichorei, & Bugloſſi aquis (quibus limpida aqua fontis sale tartari acuminata infinitè magis idonea, & parcioris est sumptus) faciendam esse, pessimè judicat medicus. Hic loci cinnamum judicatò omitti potest, cujus munus multò aptius Zingiber est expleturum.

Conservas & Condita quod attinet, pars vigesima eorum in Auguſtanorum pharmacopœa annotatorum satis superque est, ob rationes in discursu de syrupis & saccharo jam tum datas.

CAP. XIX.

De pulverum compositorum in Dispensatoriis signatorum vanitate.

1. *Aromaticum Caryophyllatum*, *Pulvis Electuarii Rosati*, *Novel. Mesuæ*, & *Rosatum Gabrielis* procul omni dubio excellentissimè capillitio siccando inserviunt, atque Barbitonsoribus quam medicis commodiores, his vixdum septenis annis iis in stomachi imbecillitatem utentibus. Secundo supra scriptorum pulverum, ingredientium dimidio centeno scatenti, nec non incongruè concinnato, facile Zedoaria, Cinnamum & Rosæ rubræ confusa prævertunt.

Cancrorum oculos, & Margaritas præparatas & exhibitas seorsim, vel junctim, cum virtutibus omnium ingredientium mistorum in pulvere è chelis cancrorum compositò adæquantes perpetim comperi. Verum serici tosti, sapphiri & smaragdi fragmina,

&

& è cervi cordis ossis additamentum ineptissima est superstitio, ne unquam animantis minimè rationalis, nisi medicorum, fide amplectenda.

2. Seminibus frigidis majoribus & minoribus mucorem brevi asciscentibus, atque Bugloſſi, Nymphææ, & Violarum florum in pulverem redactorum odore subtili actutum expirato, & inde consequenter illis in pulverem effœtum versis; quis unquam præter medicum eò dementiæ ruit, ut ab illis, quæ pulverem Diamargariton frigidum conficiunt, virtutem *cordialem* expetere possit? Quinimo lignum Santalinum album, & flavum, item myrtinæ baccæ, præter molem nihil *cordiale* eidem præfatæ compositioni afflant. Taliter ut hæc, & centies ejusmodi congesta plura locum in dispensatoriis sub nullo alio nomine expetant, quam Expectationis medicamentorum.

3. Cujusmodi sympatheiam Alcis ungula, hujus animalis excrementum vilissimum, cordi afflare potis est? Cordis cervi os à cæteris istius animantis,

mantis ossibus nihil diversum est, nisi numero singulari. Cornu unicornu asini speciei, cum quo de virtutibus, licet non de unitate, bovis vel hirci cornu certare integrum est; vel Aurum foliaceum (multo minus argentum) quod ne minimum lustri radium projiciens, indigestum præterit; vel Bolus Armenia, terra lemnia, lapidum pretiosorum fragmenta, vel succinum, quæ pondere & tenacitate stomacho gravando, & opprimendo sunt peridonea; vel Acetosæ semina usitatè pistilli impetum in mortario effugientia, ea de causa in quamlibet compositionem integra ingredientia, & introrsum assumpta, intacta corpus intus lubricum tranantia; vel Endiviæ semina, & vigesies plura haud præcedentibus dissimilia, cujusmodi (dico) sympatheiam hæc sigillatim aut junctim cordi afflare possunt? Nihilosecius eorum omnia auctiore vel rariore numero huic vel alteri pulveri *cardiaco* in pharmacopœis adjiciuntur; quod fit in *pulvere Bezoartico*, *pulvere Confectionis*

Confectionis Liberantis Auguſtan. Pulvere Pannonico rubro, ſpeciebus Cardiac. M. Speciebus Card. tem. Auguſtanorum, Diamarg. frig multiſque aliis. Ad hæc ſingulis hiſce præmiſſis putatis *cordialibus* pulveribus, cæterorum omnium facultates, & virtutes ſinu condentibus, cui fini fruſtrà Pharmacopœo imponenda eſt cura, quatuor vel quinque ex illis præparandi, atque ejus officina onerandâ tot lagenis, ad ſervandas *ſpecies* deſtinatis? *Cordiale* propriè & per ſe eſt, quod vi donatur ſpiritus fuſos fractoſque confeſtim congregandi, & affatim adaugendi, vel flaccidum cordis textum corroborandi: atque poteſtnè quiſpiam adeo depravatâ phantaſiâ laborare, ut confiteri non cogatur, *Cordialia* plus in lauti juſculi cochleari, vel vini ſpiritus aliquot guttis in eſſe, quam in talium *Aſymmetrorum* ſuppoſititiorum pulverum *Cordialium* uncia integra? Repetitionem vitare nequeo; exceptis medicis, grammaticis nihil ſtultius. Quod prædicta *Cordialium* nomen mercantur,

tur, miasmata maligna vel pestifera, & materiam febrilem subigendo, quo insigniter cordi opitulantur, replicatur. At huic facile obviam itur, asserendo effectus istos esse per accidens & secundariò, ac consequenter vomitoria & purgantia æquo jure *Cordialium* codicillo inserenda esse, quatenus humores vitiosos exterminant; qui vel per protopatheiam, vel deuteropatheiam cordi morbum inferunt, vel id afficiunt; quæ omnia sonant canticum medicum.

4. Quoad pulveres *Diamoschu* dulcis & amari, *Dianthos Nicholai*, & *Diambræ Mesuæ*, potius facultatem animalem inhrmant isti, & multo magis posternunt, quam compositum saxifragum sive inconcinnum Althææ pulverem in arenulas vel calculum, vel Palmarii Pulverem *Antilyssum* (ceu contra rabiem) in rabiosi canis morsum & hydrophobiam minus valere compertum est.

5. Inter reliquos omnes empiricos dispensatoriorum pulveres commendatum

tum me habeas pulveri *Diarrhoden Abbatis Nicholai Mirepsi*, tanquam compositioni ineptæ & inconditæ; atque si ex ingredientibus sibi mutuo adversantibus virtutes distringere collubeat, in plurimos morbos oppugnandos prævalebit. Margaritæ & cordis cervarii os morbis cordis, camphora pesti, & semina frigida majora ejusdem dotes renibus proprias reddunt. Rhaponticum in *Scorbutum*, glycyrrhizæ succus in tussim; Rosæ rubræ, Mastiche, & Santalum adversus hæmorrhagias, & alvi fluxuum omnia genera; atque aromata in flatus, languores, hydropes, urinæ suppressionem, &c. præfati pulveris præstantiam decantant. Dicere ausim, quod agyrta medicamenti fraudulentioris in omnes morbos mercaturam agere nequeat, nisi ejusmodi instituto molestia & sumptus extraordinarii obstarent. Perquam delirus erat inventor, at multo stolidiores sunt, qui id suis Dispensatoriis post ducenos vel trecentos

præteritos

preteritos annos inferendum esse jusserunt.

Moibanus in Dioscoridem dolum eximium ævo subsequenti imponit, pulverem Saxonicum, virium in pestem, & febres omnes malignas laudibus efferendo; qui præ omnibus aliis summè adurentem pestem, mezerei ope præfati pulveris basis, faucibus, stomacho & intestinis est illaturus.

CAP.

CAP. XX.

Depromens perveſanos, hebetes & abſurdos errores in Theriacæ Andromachi, & Mithridatii compoſitionibus, aliorumque medicamentorum narcoticorum.

1. QUorſum tanta *Electuariorum* in Diſpenſatoriis cohors adverſus flatus, cordis, ſtomachi, pulmonum & teſticulorum imbecillitates, quandoquidem ſub aliis capitibus & formis in eas tanta bombardarum medicarum ſeries jam apparata fuit? *Actum agere, Entia multiplicare,* & per plura facere, ſanè medicorum ſunt deliciæ. Eorum plura præteribo, iiſdem rationibus, & animadverſionibus ſuperius allatis ſatis ſuperque eorum neceſſitatem refutantibus, & obtuſiſſima eorum abſurda demonſtrantibus. *Antidotus Hæmagoga* ejuſmodi eſt, ut neque *Gog* nec *Magog* illius compoſitionis myſterium potuerit enodare. Funditus mihi notum eſt, quod minime perficiat ea,

, in quæ concinnata fuit. *Alumen, Zingiber, lupinorum farina, cortex capparis, helenium, pæonia, liquiritia, piper, lupinorum farina*, & triginta insuper in ea varietates in massam sunt coitura, infernalibus magis accommodatam, quam equis, multo minus hominibus ægris.

2. Affero, quod *Diatessaron* sit compositio decies centum stadiorum millibus *Theriacæ Andromachi*, vel *Methridatio* anteponenda, utrique quorum in compositionum omnium miserandas sectiones *Thalassiarchiam*, & *Vice-thalassiarchiam* deferendas esse volunt. Fulmen unicum portentosum medicamenti non sufficit, bina ut sint oportet. Atque ut adamussim in civitatibus omnibus amplis præparentur, *Sapientiis suis Medicis* visum est, duos quatuorve censores ceu censorios asinos delegare, ad testas Theriacales & Mithridaticas in officinis visitandas. Verò è Col. L- si centesimus novitnè quæ viderit simplicia? Certo certior sum, vix uni inter quadraginta partis eorum vigesimæ

vigesimæ facies sunt familiariter notæ. Atque quid hinc? si Agaricus, gummi Arabicum, & adhæc septem vel octo ab artifice omitterentur, crendisne visu, odoratu, ac gustu istorum *Mediculorum* tale quicquam detectum iri? Nihil magis profecto, quam *myropœus* narrare norit, quis juvenculus medicus ipsius uxori ultimas fecerit applicationes in eius gynæceo. Magistratus venetus & medici minimè ignorantes, quod nullo modo talium ter nobi ium medicinarum præparationi fallaci occurendum sit, nisi coram ipsis omnia ingredientia singillatim præparentur, & in diversis classibus disponantur; eâ de causâ nunquam se ab eorum confusione abfore sinunt; in quorum veræ mixturæ testimonium sigillum ollæ Mithridaticæ, & Theriacali affigunt, ad mercaturam ex illis per totam Europam faciendam. Leo, Ursus, Tygris, Lupus, Felis, Canis, centiesque pluria animantia fera in unum ducta locum, majorem edendi ejulatum vix capacia sunt, quam simplicia ista indomita in stomacho, nisi

niſi opium ſparſim illis adjunctum eorum rabiem pacaret, nec non illorum enormes motus refrænaret. Hujus obſervationis experimentum palam fit ex uſu pilularum cujuſdam Matthæi, quarum baſis eſt Helleborus albus, propter malignas ejus qualitates adeo ſtrenuos vomitus excitandi apud plurimos medicos exulans, nihilominus opio debito pondere maſſæ addito, pilulæ iſtæ *helleborinæ* nullis vomitus movent, paucos blandè purgant, & plurimos in ſudores adigunt; adeo ut perniciales Hellebori conatus ab opio reſtringantur, ſpiritus vitales & animales nebuloſos reddendo, ſive eos nebulâ involvendo & obſcurando, quouſque ſtomachum prædictus Helleborus & opium pariter trajecerint, & ad inteſtina appulerint; tunc autem hujus narcoticâ virtute conſumptâ, maligna Veratri radix jam vacat ad exerendas vires reliquas in inteſtina, dejectiones alvinas movendo.

3. Cedò mihi veniam examinandi hæc tantoperè decantata *compoſita*, & initium

initium ducendi à binorum horum digniore, *Theriacæ Venetæ seu Andromachi*, omnibus aliis anteponendâ; vel quia summâ curâ ad amussim ejus præparatio peracta, & sigilli Veneti testimonio confirmata est, prout superius observatum; vel ratione, quæ Viperis Italicis validiores concedit vires, quam à nova Anglia vel aliunde huc asportatis. Nomen Theriaca à θὴρ bestia fera mutuatur, vel quia viperæ primaria sunt ingredientia, vel quia earum virtutes sunt præcipuæ morsus à bestiis feris illatos curandi.

4 Andromachum Neronis medicum inventorem agnoscit, unde summam ejus ætatem ad calculum revocare tibi integrum est, & observare, quomodo à tot centenis annorum ad medicos appulerit traditio ejus indubitatæ (pro Galeno) virtutis in morbos gravissimos, particulatim in morbum comitialem, calculum, hydropem, tussim, asthma, hæmaptysin, animi deliquium, lepram, arthritidem, hydrophobiam, venena omnia, multos

tos mulierum proprios morbos, & centum plures. Nihil mirum, si mistura hæc nomine Reginæ omnibus medicinis dominante, & solâ in imperatorum conclavibus regnante dignata sit, a quibus maximo impendio & molestia præparandam esse jussum fuit. Quam exiliter virtutes istæ ex ea depromi possint, & quam inaniter & incassum sumptus adeo immensi, quædam ex ingredientibus undique ex universa Asia petendo, profundantur; & quam inepta & empirica Compositio sit, ex subsequentibus animadversionibus facile liquebit. 1. Quod, ex plurimis, si non omnibus, ea consistente ingredientibus sibi mutuo contrariis, alterum necessario destruere debeat alterum. 2. Quandoquidem Theriaca compositio est intra compositionem plurium eorundem *materialium*, quod illorum multa perquam insulsè repetantur, uti in *Torchiscis Hedychroi* recipiuntur *Rad. Phapont. costi, Cinamon. Shænanth. opobalsam. Cassia lign. Malabathrum, Nardus indicus, myrrh. crocus, & amomum.*

mum; Omnia quæ in ipsa Theriacæ descriptione denuò annotantur. 3. Perpende purgantium miscuram, *viz. Rhabarb. agaric. sem. thlaspios, sagapeni, opoponacis, chalcanti rubefacti* (tam vomitus movendi quam purgandi capacis) cum astringentibus, nimirum, *Ros. rubr. hypocyst. acacia, pentaphyl.* Ad hæc mente pervolve hæc astringentia cum sibi oppositis, item cum alexipharmacis, *diaphoreticis*, & *diureticis* conjugata, veluti *viper. dictamn. cr. petrosel. Maced. sem. dauc. cr. fœnic. ses. Amm. Therebrinth. &c.* his proxima succedunt *detergentia, cephalica, pectoralia, hysterica*, stomachica, & splenetica, gummi, resinæ, terræ, omnis generis aromata, *&c.* Basis est scilla, sive cæpa marina hispanica pasta è tritico involuta & in clibano cocta, & consequenter cætera omnia ingredientia sigillatim pondere superans. At etiam notandum tibi, quod piper & opium unâ ad præfatam scillam pondere æquiparant. Tali innitentem basi *Theriacam Venetam* an non in nulli secundum

dum formatum iri πολυπλάνητον pulmentum probabile est, potissimum ubi è viperis longo tempore carie erosis trochisci & piper longum hujus potentis *Electuarii* sunt scipiones pares? Ordo pravus, pondera disparilia, incongruens proportio, dissonans ratio, & omnimoda repugnantia tam multiplicium ingredientium nulli sunt parallela nisi Theriacæ, & ipsius sorori Mithridatio. Maniaco è *morotrophio* oriundo omnia loculamenta, vascula figlina, lagenas & ampullas in officina medicamentaria recludendi & ex iis, quæ in ills continentur, quiddam miræ compositionis miscendi phantasia correpto, vix ei possibile, ut confusiorem misturam, & ratione magis vacuam, atque ad virtutes in Theriaca veneta omnes non æquiparaturam confecturus sit, sub conditione tamen, ut opium pondere & proportione debitis, ab homine paulò clariore sensu, quam est morus, addatur.

5 Suppone dena ingredientia, ut nucum putamina pulverata, asini ossa *calcinata,*

calcinata, unguium segmenta, similiaque insuper adjecta esse Theriacæ misturæ; vel simplicium parem numerum ei subreptum fuisse, Pentaphyllum, calamentham, viperarum trochiscos, vel ferme quodlibet aliud puta; conditionaliter, opium debita proportione secundum additionem & *subtractionem* inditum fuisse, an non annuturus es compositionem iisdem dotibus & qualitatibus donatum iri; vel ἀδύνατον esse tibi vel cuivis alii à confusa mistura absenti callere, vel conjectare, quid deficiat, vel quid adjectum sit?

6. Proximo loco naturam discutias ingredientium. Quod qualitates corrodentes & adurentes scillarum stomacho ulcus inferant, attestatur Dioscorides, quibus manus auxiliatrices præbet illarum corrector putatus Orobus; cujus violentia, pro eodem Dioscoride & Galeno, amaritudine summâ, & facultate urinam fundendi cruentam, nec non alvi fluxum sanguinolentum torminibus convellentibus stipatum, emicat. Hæc autem sunt gemmæ primariæ,

quibus Medicinarum regina decoratur; inter quas non infimum locum tenet chalcantum, *minerale* equi dorſo attrito vel pſoræ caballinæ convenientius, ſemi-venenum vomitus præfocantes & alvi dejectiones torminales ciens. In Theriacæ propugnatores huic adjecta eſſe Rhabarbarum hepatis, & Agaricum cerebri confirmandi ergo, ratum habent. Abſurdum à communi omnium experientia damnatum, quod purgantia in corroborantia unquam ſint ceſſura. At noxas pernicialium iſtorum ſimplicium exilis proportionis ratione infractum iri exiſtimant, quam tantæ moli, ad quantam compoſitio univerſa attingere poſſit, vix quicquam allaturam fore innuunt. Eodem argumento pauxilli arſenici, napelli, vel cujuſlibet alius veneni additamentum comprobari poſſet. Nares in juſculum emungendo quod nihil nocui affletur, quia quantitatis pauxillum ſit, par ratiocinandi modus eſt, atque ſolis medicis præ hominibus omnibus competit. Atqui tibi perhibeam, pro-

portio

portio est ampla, si ea in unum conjungas, hoc more; *Agarici* sesquiunciam, *Rhabarbari* dragmas senas, Chalcanti cremati semunciam; Sagapeni, Opopanacis, Galbani, &c. tantum; Omnia quæ purgante vi induta partem haud minimam constituunt. Animo depingas patientem malignâ decumbentem febri, qui, ubi consulente medico Theriacæ Venetæ dosin ad malignitatem abigendam incassum deglutiverat, deinceps animam efflat; Medicus autem si casu expiscaretur, quod prædicta Theriaca simplici uno aut altero caruerit, glycyrrhiræ succo, ireos radicibus, aliove parvi vel nullius momenti putâ, Porcus iste sanè patientis obitum compositioni theriacæ mutilæ imputaturus esset. Sub clausula, Theriaca nihil diversum est à confusissima, absurdissima, & stupidissima Opiata, quæ in omnibus acceptionibus, citra omnem comparandi modum, à trium vel quatuor mistura superari potest, veluti, à *Serpentariæ Virginianæ radicibus, Scordio, bolo armenia, & opio*

in *Electuarium* redactis; vel *Angelicæ radicibus, terra sigillata, & opio,* cum melle cocto permistis. Cornu cervini Extractum, Dictamnum Creticum, & opium in succedaneum coire possunt. Indorum superstitio *Pagodicos* Diabolos monstrosis cornibus deturpatos colendo insignis est, ac centies millenis vicibus infamior est superstitio medicorum idololatrarum, qui sacrilegium esse summum credunt, compositioni minimum punctum præcidendi, ut semina acetosæ, *Piper*, & *Zingiber*, *Diascordio*; vel pyrethrum *Philonis*; os cordis cervi, & fragmenta pretiosa Confectioni de Hyacintho; quorum omnium abjiciendorum incuria asininis longiores aures gestare medicos propalat. Croci in ovi testa coctio, ejus virtutes exaltandi gratiâ, alterum ipsorum sapientiæ est signum in descriptione *Electuarii* de ovo. Pyrethri, & piperis in summè refrigerandi opii vim infringendam additamentum, haud priori absimilem conceptum denotat, & tenacissimè ipsis adhærentem.

7. Cui

7. Cui inſtituto tot celebrantur apud illos inanium *opiatorum* deſcriptiones; ut *Philonium Romanum*, *Perſicum*, *Requies Nicholai*, *Nepenthes*; item Pil. de Cynogloſſo, &c. Quandoquidem opium in vini ſpiritu ſolutum, & digeſtum cum vel ſine croco, & guttarum formâ in uſum redactum, vel in pilularum conſiſtentiam coactum, ſuppoſititiis omnibus corrigentibus ſuperius eſt, quibus indigere non videtur, quum unicum, quod minitari poſſit periculum, ſit immodice dormiendi in coma, Lethargum, Carum, vel mortem; cuique nulla alia ratione occurrendum eſt, quam ut abſtineas à tradendo id ipſum illis, quibus minimè competere videatur; vel aliis parciore quantitate exhibendo, quam operatione ſævire poſſit; enimvero quamvis opium omnibus Indiarum aromatibus circumvallares, ut ejus violentiam à natura avertas, ſi nimia doſi pecces, occidere neutiquam vitabis, vel ad minimum patientis poſiturâ mortui ſimili aſtantibus incuſſurus es

terrorem; vel si opinio tua ferat, quod ejus pauxillum patienti consulendo Asthmate, vel summis languoribus confecto à te satis cautum fuerit, te magno in errore versari comperieris; illorum ad instar, quorum in libello, cui *Medicorum Conclave* titulus præfigitur, memini. Purgantium *Electuariorum* animadversionem prætereo, quorum in componendo absurda abundè liquebunt, quando paulo inferius pyxides *pilulares* recluſuri sumus.

CAP.

CAP. XXII.

Resecta complectens de Pilularum in Dispensatoriis errabundis & absurdis compositionibus.

1. SI Mororum nomine digni censendi sunt inventores septingentis & mille abhinc annis, de compositionibus omni ratione vacuis, & *Phaulotatis Theriacæ, Mithridatii, pilularum Alœphanginarum, Fœtidarum,* cæterarumque, approbatores & confirmatores earum post mille indè annos, ingeniiores sanniones inferendi sunt; isti vero, qui earum filum in diem hodiernum producendum esse suffragrantur, maximè eximii stulti sunt definiendi; quasi earum præstantia in compositione consisteret; & quantò plus in esset compositionis, tantò validiores virtutes medicamento afflaret.

2. Hanc esse normam, qua artificis facultatem dimetantur, constat è

Medicis, in longas præſcribendas ſchedulas compoſitione refertas ſtudentibus; & quo magis compoſitæ ſunt, eo magis phamacopœus præſcribentem pro inſigniſſimo habet medico. Ex adverſo, quo pauciora ingredientia, eo præſtantius medicamentum, quod præparando minus moleſtiæ & ſumptus parit, & majorem operandi certitudinem aſſequitur. Ubi remedium è ducentis conſiſtit ingredientibus, cui nam effectum, ſi ſit ex optato, vel defectum & noxam, ſi inde deterior exurgat morbus, addixeris, hæſitandi locus eſt. Atqui ejuſmodi *fallacia cauſæ pro non cauſa* Medicis perpetim adhæſit, ut patientibus in oculorum morbos pilulas cochiæ majores præſcribentes, iiſque laudatum exitum, & fauſtum ſucceſſum ſortientibus, inde fallaciter admodum inferant, ipſarum *particularem* compoſitionem ſibi ſpeciatim arrogare præ omnibus oculum vel viſum reſtaurandi poteſtatem; tametſi purgantium virtuti, pro patientis viribus, aliiſque circumſtantiis, & abſque ullorum correctorum

rectorum vel conductorum ope, felices isti effectus sunt ascribendi.

3. Ratio eadem refutat *specificam* relationem *pilularum Aggregativarum*, *De tribus*, & *Imperialium* habendam visceribus omnibus; *Aurearum* & *Lucis* oculis; *De Eupatorio* hepati; Diambræ, *Macri*, & *De Succino* cerebro; *Tartarearum Querc.* lieni; *De Aloe* lota, *Aloephanginarum*, *Stomachicarum*, & *Ruffi* Stomacho, *Stomachicarum cum Gummi* Stomacho, & lieni; *De Hiera cum Agarico*, & Mastichinarum Stomacho, Pulmonibus, & cerebro; *Fœtidarum*, *De Opopanace*, & *de Hermodactylis* artubus, aliisque morbis arthriticis; *Mechoacannæ*, & de *Gutta Gamandra* hydropibus, & *de Styrace* tenuibus acribus in pulmones distillationibus.

4. Pede fixo paulisper hære, & mecum hominum profundam stultitiam perpende, eo attonantiorem, quo διαφυμας insignitur in illis, qui studijs per omnis vitæ decursum, & doctrinâ obtentâ ab annorum millium experientia oriundâ, non ulterius profecerunt,

quam ut antiquitati mendaci fidem habendo, adeo inania & abſurda compoſitionum recrementa Pharmacopœæ L—ſi inſerenda exceperint; & quod pejus, quod eorum uſio totius gentis medicis imponatur, abſoluta eſt medica *Papiſticatio* & *Inquiſitio*, omnes damnantes, quicunque nimia ſcientia & probitate præditi ſunt, ut ſeſe ipſorum affaniis ſubjuges tradant; haud abſimili more ac *Papatus* in tales *anathema* fulminat, qualium rationis lumen, & conſcientia convicta ſui ſubjectionem abnegant ipſorum impiis *Indulgentiis*, ridiculario *Purgatorio*, & obcœcato idolorum cultui. Atque veluti *Lutherus* primitius fuit, qui ſannas integrarum annorum centuriarum propatulas feliciter reddidit, quarum ſcopus præcipuus non alius fuit, quam ut neſariè uſurpato in hominum conſcientias dominatu, eoſque in obcœcatæ ſervitutis vinculis tenendo, de libertatibus perſonarum ipſorum triumpharent, & *Indulgentiarum* ſuarum, ac Pontificiarum veniarum caris pretiis, aliiſque

que artificiis ſceleratis ſibi opes congerant, quibus ipſorum *Bullæ* fulminantes, *Excommunicationes* que maledictæ, potiſſimum in articulo mortis, eximiè inſerviunt. Atque quapropter non æque veriſimile eſt, Judicium probum & diſcernens eodem ſucceſſu, et argumenti vivacitate retexturum, & in propatulum allaturum eſſe craſſiſſima errata & abſurda medica, in hunc uſque diem aſſerta a rationis experte, & tyrannica poteſtate a *Conclavium* medicis ſibi arrogata, in nullum præterea finem, quam ut hominum vitæ dominentur, ſibi ex ipſorum fortunis gazam arripiant, & eorum opiniones ſuarum pernicialium compoſitionum & perinſulſarum præſcriptionum mancipio addicant?

5. Paucis retro annis languidè animum adeptus, *Extractum Rudii*, vulgo *Catholicum* corrigendi, *Pulverem Diarrhod. Abbatis*, ineptum & inanem correctorem illum abjeci, ejus vicem aromatis unius vel alterius additione ſupplendo, prout legere eſt in tractatu *Domeſtico Pharmacopæo* vocato; facinus erat,

erat, quod medicorum nemo antè perpetrare ausus fuit, licet non pridem istinc ab integra quadam futili Societate L. in sua Pharmacopæa imitandum fuerit.

6. Quorsum vero tendunt Mastiche, Marrubium, Sarcocolla & Myrrha simplicibus purgantibus in *Pilulis de Agarico* addita, quum ista ab his superentur, & demergantur, atque ipsorum *reactio* mutua non tantum vim utrorumque infringat, quinimo illa compositionem nimia mole exaggerent? Eadem ratio multo validius urget in succos spissatos Agrimoniæ, Agerati, & absinthii, nec non in polypodium, mastichen, rosas rubras, epithymum, semina anisi, & zingiber (quorum nonnulla spuria sunt corrigentia) in *pilulis aggregativis*. Myrobalana tam languidâ vi purgante imbuta, potius ob eorum astrictoriam facultatem in usum adducuntur, ideoque hinc rejicienda sunt, ac etiam Rosæ rubræ, & Mastiche, quæ astringendo præcipuorum ingredientium facultatibus purgantibus vertuntur impedimento & *remoræ*. Anisi seminum & zin-

zingiberis est flatus discutere, quos catharticus ὄργασμος bullando profudit; vel potius tormina ista subsequentia ortum suum debent acribus humoribus vellicantibus à purgantibus in intestina deturbatis, quæ calidæ particulæ igneæ zingiberis & anisi seminum impendio irritant & ingeminant, quâ de causa sunt exterminanda.

7. Ut nude eloquar, idoneum naturæ adjutorium (post sumptum purgans medicamentum) quod reipsa verum purgantium est corrigens, affertur, quum deglutito *cathartico*, aliquo post tempore jusculum macrum ceu tenue sumatur ex *althææ* radicibus, vel nuper egerminantibus *malvæ* foliis, *endivia*, & *borraginæ* vel *buglosso* confectum, cum tantillo butyri recentis, & quatuor quinqueve salis micis in eo solutis; vel lac affusione vini vel cerevisiæ in serum versum, cum butyri pauxillo, & sale jusculi vice inservire potest. Butyro particulis oleosis stomachum & intestina lævante & lubricante, nec non iisdem intestina liniente

vel

vel obducente, ad ea ab humorum ſuccenſorum præterfluentium acrimonia defendenda; *Mucaginoſis* & emollientibus particulis herbarum purgans una cum humoribus a ventriculo inteſtiniſque præcipitando opitulantibus, & cum butyro conjungentibus in membranearum partium defenſionem; ſale leniter ſtimulante ventriculi & inteſtinorum fibras ad excernundum. Hæc autem præfata ſunt aptiſſima purgantis medicinæ corrigentia & defendentia, licet quandoque malignæ facultatis, violentius operando, participem eſſe ſe ſuſpectam præbeat; hujuſmodi ſunt *Scammonium*, *Colocynthis*, *Helleborus niger* (albus tanquam violentiâ ſæviſſimus plane rejiciendus) *Gialappa*, *Gummi* Gutta, &c.

8. Purgantium combinatio, quâ alterum alterius defectum ſupplet, cum additamento unius è tribus quatuorve ſalis generibus, corrigentis munus exequentis, unice recta congruaque *catharticorum* componendorum ratio eſt, quâ præmiſſa incommoda præciduntur. Hoc more

more *Aloes* Torpor *Scammonii* & *Colocynthidis* promptâ operatione ſuſcitatur, cujus poſterioris aſperitudo lævigatur, & *Emetica* qualitas præcipitatur ope unius vel alterius ſpeciei ſalis fixi, quod etiam *Hermodactylis*, *Turbith*, & gummi guttæ præſtat.

9. Plurimæ in Diſpenſatoriis catharticarum pilularum compoſitarum ſpecies, doſi juſtâ exhibitarum, nihiloſecius in multis conſtitutionibus perquam diras oppreſſiones inferunt ſtomacho, quia *Empirice* ſunt commiſtæ, & ingredientibus ab intentione alienis & aſtringentibus aromatibus infartæ, quæeas vi in ventriculo cohibent.

10. *Turbith*, *Hermodactyli*, *Myrobalana*, *ſemina Carthami*, *Epithymum*, *Gummi Ammoniacum*, *Opopanax*, *Sagapenum* ſimiliaque ſolummodo cum Aloe, & ejus putatis corrigentibus miſta, veriſſime componendi rectæ ratiocinationi adverſantur, & experientiæ omni ſecundæ obſtant, ita ut jure concludatur, *Pilulas de Aloe lota*, *de Eupatoria*, *Maſtichinas*, *de Tribus*, quinetiam uni-

universam in plurimis dispensatoriis compositarum pilularum turbam rationis inanes & empiricas esse, usui circumforaneorum adaptatas magis, quam medicis *dogmaticis*.

11. Præ cæteris omnibus *Pilulæ Tartareæ Quercetani* ridiculissimæ, & ineptissimæ habendæ sunt de rationibus ante allatis in diversis capitibus. Tribus vel quatuor pilularum purgantium compositarum generibus non plurium in Pharmacopolio numerus, omnibus vel usitatissimis saltem istius classis intentionibus satisfaciendis par est, absque *pilularium* vasculorum frustraneo augmine, vel putore locum hara nauseosiorem reddendo. Si animus fert, *Turbith* vel Hermodactylos anteponere ad depromendos arthriticis humores tartareos ex artubus, vel Jalappa, & Gummi Gutta Serum hydropico exhaurire, quodvis eorum justâ proportione miscendum ti: i est cum laudabili *Extracto Rudii* ceu *Catholico*, longè diverso à communi more præparato & correcto, atque *Electuarii Caryocostini*, *pulveris Diaturbith*

turbith cum Rhabarbaro, *pilularum de Hermodactylis*, multorumque aliorum farcinam onerosam declinabis. Proximè necesse est, ut incumbas in substituendam è lenioribus purgantibus compositam massam pilularum ad *scopum pilularum stomachicarum cum gummi* respecturam, quæ variorum aliorum purgantium ingredientium additione supplebit multarum aliarum Dispensatorii compositarum pilularum numerum. Præterea, compositio insuper unica vel altera, quam hic inserere nihil refert, totum perficiet.

12. *Diversiformium* hæc internarum compositarum medicinarum specimina tanquam breves probationes præmittuntur, quarum interstrata argumenta facile illarum plurimis, quæ in gregariis dispensatoriis recitantur, à medico rationali applicari possunt; quo quum in epitomen meus redigatur labor, me excusatum habebo de singulis dissecandis particularibus, quod alias in molem onerosam necessariò turgesceret. Quod ad externa spectat medicamenta,

menta, quamvis eorum compositiones æque absurdis, & incongruitatibus ineptis scateant, ipsorum usu periculi minus minitante, me ex ulteriore molestia extricabo.

13. Denique, quandoquidem adeo liquidò constat, universum Dispensatoriorum medicamentorum agmen non aliud esse ac Expectationis remedia, nihil confarreatis ceu combinatis Medicis magis expedit, quam succinctam politamque formare pharmacopœam è necessariis, selectis, & expertis medicamentis consistentem; quod hoc ævo sperandum non est à præpostero & crudo eorum educatu præstitum iri, vix inter omnes vigesimo faciem virtutesque simplicium, multo minus compositorum notas habente. Quod medicamenta *Chymica* attinet, horum plurimæ præparationes potius destructiones istarum materiarum sunt dicendæ, circa quas versantur, atque illarum virtutum explicationes adeo sunt grandiloquæ, & insigniter falsæ, ut in istius

Phar-

Phærmaceuticæ partis correctionem & promotionem vir experientia & ratione major desideretur, quam ullus mihi hactenus cognitus *Conclavi-medicus.*

CAP.

CAP. XXII.

Quod methodo medendi innitendo, ingens inde exurgat artis medicæ in elatiorem gradum promovendæ obstaculum, plurimi attestantur exemplis perquam insignibus.

1. EPernicialibus istis Doctrinis, ne ulla unquam arti Medicæ infaustius exitium astrinxit eo, quod ultra omnem dicendi modum tantâ Emphasi Capivaccius attulerit, viz. *Lege meam methodum, & noscis omnia mea secreta*, in medicam methodum totum præcipuum, & scitu necessarium devolvens, & huic ultimum Artis finem, præ morbos protelandi scopo, induens. Thesis hæc oppidoquam falsa ab infantibus *Medicis* exucta, & deglutita, *Pharmaceuticæ* incuriam illis inserit, quæ me opinante cætera omnia scitu digna superat; suppositio, quod medicamentorum præparationes Justas & debitas non tantum recondat, quin

quin etiam earum certos κατὰ πολὺ, & perex ploratos effectus recondat vel recondere ſaltem debeat. Quod de *Therapeutica* vel medendi methodo aſſerit, nihil aliud eſt, quam ratio, modus, vel ordo applicandi remedia pro loco, tempore, ætate, ſexu, temperamento, alijſque circumſtantijs; omnia quæ nuda cognitio & perceptio indolis remedij, oculata experientiâ ſui propriâ vel aliorum animadvertenti, naturaliter innuunt & indigitant, & iſtâ de causâ tam perſpicuè iſtius notities perquam neceſſaria & præ omni alio maximi pendenda redditur, non obſtante ejus ſecordi hactenus aſpernatione. Præfata ſtudium debitum & ſcientiam cæterarum medicinæ partium haud prorſus illidunt, ſed ſolummodo hortantur, ut competentiam ſcientiæ illarum aſſequantur, ne trivialiter temporis potiorem partem abliguriant inanium curioſitatum, & *ſpeculationum* anatomicarum nimis exiliter netarum tricis. Muralis ſtructor vel latomus, ultra fragilitatis vel fiſſionis

fissionis lapidis notitiam, quam experientiæ non nihil expeditius quam longa theoria ei comparabit, si octennium vel decennium Philosophiæ lapidum, eorum *materialium*, externarum & internarum efficientium, & adjuvantium causarum, *specierum* & differentiarum studio inhæreret, in contemptum & incuriam trullæ & cæmenti (quorum usum eum experientia præsto docebit, licet cæmento ungendi & spurcandi methodo non multum sit instructus) eum profecto insanum concluderes, nec non prædictionem faceres, quod vix fuerit possibile, ut unquam in habilem artificem evasurus sit; haud absimilis ei, qui, quum potissimum temporis in Anatomicis, vel ulla alia medicinæ parte contriverit in Pharmaceuticæ neglectum, nunquam in medicum idoneum evadet; cujus specimem tibi sum traditurus in quodam, qui hujus ævi feliciſſimus fuit anatomicus, licet medicus nequaquam insigniſſimus; *Gulielmus* nemqe *Harvæus*, cujus siniſtrum judicium carbone nigro notandum est,

in

in ipsius præscripto purgatorio, in usum cujusdam Domini *Rainton* de pago *Enfield*, cujus dimidia pars à myropola tantùm præparata, & cautè exhibita, octoginta alvi dejectiones movit; at si integram dosin, pro Doctoris mensurâ, deglutijsset, à latrina sanè in mundum subterraneum præcipitatus fuisset. Percrebruit consultatio, quâ *Harvæus* anatomiâ clarus, pluresque alij medici, quendam Dominum *Farewel*, de Templo interiore juris-peritum, curandum inhiabant. Conquerebatur autem iste de dolore abdominis, artuum impotentia, fractis viribus, dejecto appetitu, dyspepsiâ, &c. Prædictus *Harvæus* sibi oratoriam partem arrogabat, ob ipsius in anatomicis summam peritiam, quæ, si alicubi, hic quiddam præstare videbatur; post diutinam totius abdominis contrectationem, tanquam magisterio fungens, capitonis instar asserebat, omnia ejus symptomata ab aneurismate oriunda esse, & consequenter curatu non possibilia, in quantum nimis dissitum erat,

in

in quo uno omnes præter quendam *Bateum* promptè conveniebant, licet fuerit opinio absurdissima, & auditu rarissima. Patiens animo haud penitus orbatus, causam suam cum corpore deferendam voluit ad pagum vicinum *Chelsie* vocatum, lapidem unum vel alterum *Londino* distantem, in quo eques *Majerne* cubili affixus, vel morbi vel ætatis causâ, decumbebat. Hic post leve rei examen eum allocutus est, quod ille secundus vel tertius patiens esset, quem eodem morbo cruciatum offenderit, audacter exprimens se illum curaturum fore, at non sine hoc incommodo, *viz.* Se causam morbi protelare debere vel in brachia, vel in crura, pro artuum delectu, quibus commodius parcere potuerit, vel qui magis vel minus ipsi forent usui, haud Dei Omnipotentis Voluntatem consulendo, arrogantiâ inauditâ, & Athei (prout nimis apud illos increbuit numerus) plus fœtente, quam medicum pium olente, prout tunc temporis potissimum esse oportuit, quum haud multis

tis ſtadiis ab itineris meta ſe comperientem. Dominus *Farwel* ratione profeſſionis ſuæ, quâ adeo deſideratur Scribendi facultas, replicavit, ſiquidem negotium ipſius erat ſedentarium, quod mallet ſe compedibus dedere, à quibus etiam, medico ſtrenuè aſſerente, balneorum Bathonienſium ope quatuor vel ſex hebdomadis liber foret. Concipiendum tibi eſt, cauſam morbi hujus gravis eſſe oppilationem pertinacem glandularum meſenterii impensè tumidarum, & obdurentium humorum tartareorum & mucoſorum coagulatione, valide in *Arteriam magnam* impingentium, quæ potente renixu vim pulſandi geminabat, unde Harvæo aneuriſmatis notio falſo impoſita fuit, quod *Vibratio* potius appellanda fuit. Tumor conglobatus comprimendo, nervorum, lacteorum aliorumque vaſorum coarctationem moliens, artuum imbecillitatem, atrophiam, &c. induxerat, & viſcera ſufflatione tumida diaphragmati impingens, difficilem admodum reſpirationem reddiderat.

Medicamentum magnum Empiricum (quo ejus parens *Turquetus*, à Gallis vulgo *Turca* nomine ſpurio ſignatus, publicitus vendendo ſibi famam non mediocrem allexerat, qui Equitem Theodorum in iſta occupatione ſibi aſſeclam habebat, prout vulgatus percrebruit rumor) doſi mediocri miſtum cum quibuſdam leniter purgantibus, optatum viſcatorum humorum ſolvendorum finem attigit, & ipſorum pondere deorſum tendentes eos in illius pedes, tanquam partes impensè infirmatas, & conſequenter ſuſcipiendo aptiores, propulit. Natura ſarcina iſta depoſita, quæ hactenus illius nutritiorum & animalium ſuccorum fluxui obſtiterat, par ſatis erat vegetando viſcera, eaque ad functiones priſtinas reducendo, veluti ſubinde Balnea non minus languida videbantur, ipſi pedum retribuendo uſum. Sartoris in platea *Fleetſtreet* ſors, cujus nomen memoriæ meæ ſubterfugit, licet facile ejus notitiam recuperare valeam, vulgaris non erat. Sciaticam doctori deplorabat,

bat, quæ in claudicationem ipſum impulerat, non poſthabitis acerborum dolorum reditibus crebris. Doctor in tam dubiæ aleæ, & adeo magni morbi curationem incumbere recuſabat, ni ad tria dubitata diſtinctè reſponſurus foret. 1. Num arti ſuæ factitandæ per tres menſes ſe ſubducere poſſit. 2. An quinquaginta librarum diſpendium anteponat ſanitatis redintegrationi. 3. Utrum paſſionibus ſuis moderari queat, ſubeundo aduſtionem vel inciſionem partis ad os uſque. Patiens parate ſatis prioribus binis conditionibus annuebat, at tertiam prorſus reſpuens, recedendi veniam captavit, haud tamen ſolennem formulam tantæ famæ medico debitam, ſoſtrum nimirum, negligendo, atque alii impendiò inferioris claſſis medico ſe applicuit, qui paucis prolegomenis eum ad balneas Bathonienſes ablegavit, quibus abſolutam ſex ſeptimanis curationem adeptus eſt. Nihil dubitandum, quin Doctori Harvæo Anatomicorum aliorumque feliciſſimorum detectorum ra-

tione, ſibi primum inter omnes id ætatis medicos locum jure vendicare licuerit; aliique ante & poſt eum inſignem progreſſum fecerint, canes & feles ſecando, item vitulina capita & ovilla viſcera diſſecando; attamen pauci ex his, quando ſe praxi exercent, vix ſagacitate donati ſunt morbos dignoſcendi, ipſorum intuitui oblatos, impendiò minus curandi eos; quo curandi negotio cogitabundus medicus longè illis ſuperior eſt, licet garrulus medicus Anatomicis prætextibus opinionem humani generis ſibi vendicet.

CAP.

CAP. XXIII.

Exhibens Artis Expectationis partem practicam, & ejusdem Methodum Medendi.

1. MInutula artificia *Dioptrica* in Anatomia à Malpighio tentata, æquè vilus deceptioni subjecta sunt, ac sylvæ, maria, & fluvii in Luna oculo vitreo tubi optici aspectabilia. Nihilòsecius *Methodo Medendi* non magis gloriari licebit de variatione ceu mutatione minimâ ad melius, ope & usu mutuo acceptis ab illorum lumine, *Circulatione*, lymphaticis & lacteis vasis, reliquisque novitiis apparitionibus, ac naviculario de faciliori viâ inventâ Rothomago Versus Portum Gratiæ, aspectando novos canales & fossas, se in Sequanam evacuantes. *Materia Medica* & remedia pene eadem sunt nunc temporis, ac centum vel bis centum retro annis, quamvis ab eorum applicatione successus profluens in deterius vergat, quam prægresso ævo, quod non alii est ascribendum, ac fidei cæcæ,

quam medicamentis compositis habemus; & incuriæ examinandi virtutes uniuscujusque simplicis particulatim.

2. Vero æque consonum est, *Observationem* ab effectuum remediorum simplorum in singulos morbos experientiâ sumtam (variandi occasione concessâ ratione dosis, temporis, virium, aliarumque patientis & morbi circumstantiarum) esse solam inventricem, & causam promovendæ Artis Medicæ; ac *Non-observationem* ceu Observationis neglectum unicam esse causam, qua Medici recentiores vix cum antiquioribus sint æquiparabiles; ita ut Ars, tam minimè provecta quum sit, ab altiori gradu prorsus regredi videatur, & ratione debitè educandi juniores studiosos, tempore reversura sit ad Machaonem & Podalyrium.

Per varios usus Artem Experientia fecit, Exemplo monstrante viam.

3. Sol meridianus non magis inclaret, quam istius aliarumque in præcedentibus

dentibus paragraphis præmiſſarum aſſertionum perſpicuitas; attamen earum apud vulgus receptio, quod adeo impreſſionibus falſis medicorum depravatum eſt, non magis ſperanda eſt, quam Evangelium inter Turcas, qui adeo funditus impiis documentis, in eos jam inde à pueris inſtillatis à ſacerdotibus, & fotis ad mortem uſque, ſunt anticipati.

4. Satis ſuperque de inſtrumentulis, & materia medica uſui Artis morbos Expectatione curandi dicatis, ſermo fuit habitus; pars practica è Methodo applicandi iſta futilia remedia conſiſtit. In quantum aliarum artium doctrina à certis Theorematibus & poſtulatis dependet, non minus & hæc famoſa. 1. *Plurimi morborum curatu poſſibilium curantur à Natura, & Tempore.* 2. *Multi morbi fiunt curatu impoſſibiles, & conſequenter lethales, ubi Natura nimis langueat, & tempus nimis ſit breve.* 3. *Natura quum fuerit valida, & morbus levis, vel non admodum violentus, Tempus eſt Remedium magnum, & pri-*

marium Indicatum. Itaque ſequitur, quod ſcopus præcipuus, & intentio medici Expectationis ſint lucrandi tempus, & eludendi patientem à tempore ad tempus, uſquedum natura ſuperaverit morbum. Ratio, qua Tempore eludit patientem, eſt. Ei confidenter pollicetur à tempore in tempus levamen & diminutionem morbi, inquem finem ei patientium plurium eodem ægrotantium more narrationem dedicat, quo modo hac & illa hora, hoc & iſto die ſenſiles alleviationes percibiebant. at caveat memoriam fallacem, ſiquidem ægri mirum modum ruminantur, & *oportet mendacem eſſe memorem.* Hæc perſona vultus fictâ ſpecie acta, ſcilicet facie acerba, nigro ſago, pileo caſtoreo margine lato, ſcipione firmo ingenti (quod haud parum addit) & conſcientia ſubornata, præpotenter (pro rhetorum dicendi more) auditum proclivem, & aſſenſum faventem auditoris ægri reddit tantopere, ut ſpiritus ei inde ſuſci tentur, quos per ejus vultum ambulantes & ſalientes in aſpectum hilarem medico

medico intueri licebit; ſtrophâ hac bis vel ter per diem (prout patiens *ſoſtrificus* fuerit, haud alias) reſumptâ, eum ab hebdomade in hebdomadam, à menſe in menſem (at nequaquam ab anno in annum, ni mente captus ſit) expectandi patientem formabit, quoad demum naturâ morbi victoriâ potitâ, patiens curatus, & medicus naturæ furatus fuerit titulum Triumphantis, cum nummorum aureorum crumena.

5. At ſi omnibus de tempore acquirendo vel procraſtinando monitis probis obluctetur patiens, accentum & dialecticam permutans *Expectationis* medicus, ſe eum deſerturum fore comminatur, ſicuti *Cottier* Galliarum regi, præſagio relicto, illi mortem inevitabilem præ foribus adeſſe, ſi alius (probitate ſuperior) illum curandum ſuſceperit, præterquam ipſe; adhæc parum ſedulus ejus viſitandi officio defungens, patienti neceſſitatem imponit, ipſum bis vel ter accerſendi, priuſquam ſemel advenerit, & tunc adeo pauliſper moratur, ut fingat hunc ducem, alium

Comitem, tertium & quartum Nobilem, ipsum equis & velis sectari, consulendi ipsum gratiâ; quos omnes eodem affici morbo, fabulosè asserit. Argumento hoc tantoperè proficit, ut patientem lecto vel cubiculo affigat, quantisper doctori libuerit, eumque in quantumlibet tempus suo mancupio subjiciat.

6. Præter hanc cubicularem consuetudinem, & linguæ praxin, nonnulla sunt præscribenda remedia, quæ non multum prosunt, quorum optima sunt talia, quæ non nocent, & consequenter tuta esse debent. Atque quandoquidem omnia remedia in hunc scopum tendunt, ut patienti tempus transigendo opitulentur, oportet ut præscribantur in varias statutas horas, quas expectando semper tantundem temporis præterit; idcirco expedit, ut medicamentum differens sibi præscriptum habeat, singulis, vel saltem alternis horis sumendum. Ut enim dixi, expectatio talium & talium horarum admodum confert tempori transigendo.

Ista

Iſta Expectationis medicamina, exigitur, ut guſtu & odore potiſſimum diſcrepent, taliter tamen ut ſint innocua. Hæc patientis guſtui & faucibus negotium ſunt ſubminiſtratura, & ægro idem præſtant, quod nicotianæ fumus ſano. Medicamentis externis & hic locus vacat, ſiquidem hæc tantundem temporis patientis ſunt inſumptura applicando, renovando, & mutando. Exempli gratiâ, ſuppone adverſus capitis, vel alterius partis dolorem immanem, amicum cataplaſma è tribus quatuorve haud multum ſignificantibus herbis, furfurum modico, &c. at in patientis cubiculo præparandis, ut temporis faſtidium ſuperet, & ea quærenda, afferenda, & ſe præſente coquenda, atque ſubindè applicanda ſpectet; ſciens autem, quæ & qualia ſint ingredientia, ampliorem fidem conceſſurus eſt iſtis, quæ avia ipſius ei narrare ſolebat, bona & præſtantia eſſe. In podagra ſimiliter, ſi Expectationis medicus hoc ſequente *ſuò* patientem gratis donet, non ſolummodo in bonam

nam partem accipiet, quinetiam major veneratio illi tribuetur, quam si è myropolio afferatur, & medico perennis duffusa gloria & æstimatio affluent, viz. decem fili portionibus mediam ulnam longis, ceram colorum discrepantium immersis, singulis ab ipso patiente (si possibile) vel ejus nutrice singuli pedum digiti sunt vinciendi, & solvenda vincula singulis vel alternis horis, atque tranferenda ad alios digitos, videlicet filum inceratum rubrum ubi fuerit cœruleum, nigrum ubi luteum, &c. Hoc artificio multum temporis præteribitur, & si patiens ligando & solvendo sedulus sit, dum prælongus finitur paroxysmus, alium insuper sortietur fælicem effectum, viz. dorsi ipsius admodum flexilis reddendi, & quum vespere delassatus sit, id ei somnum absque impensa pro opii dosi est conciliaturum.

7. Quoniam incongruum est, ut plurima universæ medendi methodi, pariter cum hujus opulentæ & nobilis artis remediis in omnes morbos, exempla adducam

adducam, nonnulla univerſaliſſima protuliſſe ſat eſt. Febris continua putrida poſt unam vel alteram venæ ſectionem, (quæ indubitanter in rem eſt) exigit decoctum tenue avenarium, vel hordeariam aquam cum appendentibus in potum ordinarium; huic proximè Corroborantia cordis bina, vel terna diverſis horis ſumenda ob rationes antè exhibitas; item paucos nonnullos pulveres teſtaceos, medicæ devotionis temporibus dicatos. Si alvus officii immemor fuerit, in muneris debiti, enemate è lacte vaccino & ſaccharo alternis diebus injiciendo, functionem redigatur. Cornu cervini ſpiritus, unà cum emplaſtris epiſpaſticis, in morbi declinatione in uſum arceſſere licebit, tunc enim noxæ minus ſunt illatura. Cordis corroborantia ut plurimum concinnantur è duabus, vel tribus, pluribuſve aquis ſimplicibus, veluti ex aquis cardui benedicti, ſcabioſæ, meliſſæ, totius citri, ceraſorum nigrorum, &c. cum aquæ epidemicæ, theriacalis, protheriacalis,

theriacalis, similisve quadrante, & istiusmodi Julapium florum vettonicæ Syrupo condiendum est. Id genus aquæ simplices cum aquæ cinnamomi quadrante vel sextante mistæ, margaritæ in pollinem tritæ (cum quibus crancrorum oculi quibuscunque putatis præstantiis adæquabuntur) & saccharo percandido dulcatæ, Corroborans *Perlatum* conficiunt. Diætæ ratione vitanda sunt tibi carnium edulia, & jure Avenaceo, Hordeaceo, & *Panada* gavisurus es. Nihil perindè certum est, quam hic universus cursus ceu circulus est prorsum *Expectatio*, siquidem nihil in eo deprehenditur, quod aliquantillum versus curationem veram spectat; ita ut, qui talibus remediis & methodo redintegrati sunt, sanitatem restitutam debeant naturæ vi, & Tempori. Curandi indicationes à quâlibet putatâ febrium Theoriâ elicito, ut suppone, quod è sanguinis *fermentatione* primordium ducant; remedia antè citata nullorum participia sunt, quæ subigendo vel extinguendo *fermentationem* valent,

lent, vel (si mavis) quæ leniter eam intendunt, ut pernicius terminetur. Concepto, febrim accensam esse à putri ebulliente fervore, particulæ sanguinis istæ præternaturales, ipsum in adeo impetuosam passionem lacessentes, à nullo eorum, quæ in illis medicinis hospitantur, debellantur, atque si isti opinioni medici assensum non præbebant, haud dubiè eas tam generatim non repudiassent, & corticem peruvianum in spei anchoram in hoc casu adoptassent. Quod insuper objiciendum habeam, in alio tractatu, & in sequentibus legere licebit.

8. Cuinam conceditur, absque indignatione tam plumbeos intueri medicos, qui post tot centenorum annorum experientiam interlapsorum, & suorum antecessorum praxin, nè unicum quidem medicamentum enixi fuerunt, quod directò & per se inruendi in febrim continuam, eamque oppugnandi & excutiendi, languissima vi donatum sit, quæ tamen obcæcatis ipsorum

rum applicationibus in malignitatem nimis crebro provehitur? Si quis autem ſpeciem præberet, vel conatus adhiberet tenuiſſimos, greſſum conficiendi minimum verſus talium remediorum promulgationem, ſe illorum eodem livore & odio confodiendum illicò comperiretur, ac diabolorum legio proſecutura foret virtutem: Univerſa collegia eum malitia petitura, & omni calumniarum genere cruciatura eſſent, neutiquam in eo hæſitatura, quod illum radicitus extirparet (cujus, ſi expediret, tibi memoratu digniſſimum ſpecimen præbere poſſem) etenim qui artis medicæ reformationem voveret, hujus impoſturas didendo, & methodum ac remedia depromendo, qualia Expectationis artem longè lateque ſuperant, æſtimationis, vitæ, & fortunæ ſuæ martyrii diſcrimen illi ſubeundum eſſet, potiſſimum perpenſo, quod maxima & inſigniſſima hominum pars judicio anticipata ſit, in hos ab expectationis medicis infuſo, quorum ſingulis hic vel alter medicus conſuetudine, affi-

affinitate, notitia, vel compotatione græcâ ferme coaluit.

9. In majorem perniciem nihil unquam cessit, ac hæc receptissima notio, in variolis perpetim exhibenda esse expellentia indicans, nimirum impetuosa *diaphoretica* ceu sudorem extundentia medicamenta adhortans, quæ febrim illis comitem usitatam, vel potiùs illas præcurrentem, in æstuosiorem concitando, in malignam adigunt; quo gradu hâc permanente, procul omni conatu est, ut virulenti quid unquam protrudatur, stato, variolas esse crisin, ceu pustularum virulentarum propulsionem in febri continua *imputri* (haud raro) ceu *plurium dierum diaria* (barbare à medicis vulgo prolatâ) & in febri putrida sæpius illis assecla. Crisis nunquam est expectanda, nisi absolutis digestione & separatione, quas tunc insequitur expulsio; ita ut si sudori expellendo operam des, priusquam natura coctionem & separationem peragendo propitia sit, omnino spiritibus fremitum moveris, eosque

eoſque in ſummum furorem adegeris, atque quamdiu hoc modo proceſſeris, citius mortem acciturus fores ac variolarum protruſionem. In hoc eſt morbo, quo haud inſolitè nutrices, clinicæque aniculæ ipſarum vulgariis Expectationis remediis, nempe lacte cereviſia in ſerum verſo, vel in zytho tenui cornu cervi, vel caricarum decoctione medicorum inſigniſſimos præcellunt, deceptis expellendi methodis utentes.

10. Ulterius penſitando, quod in pluribus infantibus, aliiſque levis tantum ſanguinis fervor conſpiciatur, quem haud impropriè *fermentationem* appellare fas eſt, ſiquidem *ebullitio* violentum magis & impetuoſum motum exprimit, quâ remiſsâ vel prorſus ſubſidente refrigerantium aqueorum & acidorum Juleporum vi, eruptio virulenta ſupprimitur, vel in cerebrum & nervorum ſyntaxin propellitur virus (unde mox ſpaſmi oriuntur lethales) vel in vitæ columnas ſc. cor & pulmones, quo præſentaneam ſuffocationem vel ſyncopen decretoriam adducit.

cit. Ex altero, ubi febris adsit ingens vel *Ebullitio* putrida, usque dum ad lenem fermentationem redigatur (sensu enim amplo, *ebullitio* & *fermentatio* pro magis & minus tantum, atque fine differunt) *variolæ* (varili potius) vel *morbilli* nunquam sunt prosulturi, licet validissimis utaris expulsoribus, qui omnino effectibus propositis agendis decidentes, in summam apicem impetus & malignitatis febrim provehendo rarissimè fatiscunt; & ista de causa nunquam non observavi, plurimos sub medicorum cura defunctorum, obitum ipsorum febri & medicamentis lethiferis, & quam minimè expulsionis defectui debere, quæ *nullatenus* expectanda est, quamdiu febris putrida ab ebullitione in *fermentationem* (prout vocant) non remittatur. Quamprimum ac progerminant pustulæ, eruptio, si nimis segnis, excitanda; si furibunda nimis, demulcenda medicamentis obsistendo isti malignitati idoneis. Porro, hæc semper constitit observatio, quod copiosum materiæ virosæ variola-

variolarum ad cutem profluvium derivetur ab incuria oppugnandi febrim putridam in corpore impuro, (aliisque) medicamentis medicorum gregi celatis, antequam nimium in fastigium surrexerit. Si variolarum coeuntium materiæ pars, vel ejus halitus ad partes internas recedant, quandoquidem frequenter pori externi occludantur, haud raro lethale est, partibus principibus repellendo prædictam materiam imparibus redditis. Harum observationum veritas è propitia mihi sorte probabilis videbitur, quum toto vitæ meæ decursu, prout meminerim, neminis ceu viri, fœminæ, ceu infantis curam unquam habuerim, qui variolis occubuerit, præterquam unius aut alterius, videlicet pueri septennis vel octennis, ad quem pridie obitus ipsius arcessitus fueram, ut cum quodam magistro *Berwick* medico doctore, tunc istius familiæ ordinario, consilium inirem. Pueri cute maculis internigrantibus, exanthematum pestilentium instar, fædata, variolis colorem olivarium

olivarium referentibus, & urina cruenta ſtipatis, parentibus dictum fuit, ſeriùs eſſe; de tribus vel quatuor Expectationis remediis inter nos conventum fuit, & ſic finiebatur gravis noſtra conſultatio.

Alterius hiſtoria cujuſdam generoſi haud pridem infauſtum exitum enarrabit; hic ex agro Gloceſtrenſi Londinum profectus, poſt octo vel decem dierum decurſum gravi in faucibus catarrho tentabatur; obiter illius conſalutandi munere defungens, & de præfato malo ipſi metuens conſului, ut actutum venæſectionem celebrandam curaret, quâ in nimium tempus poſtpoſitâ, ſubito ſe exanthematibus variolicis correptum ſenſit in aprico ambulans; ſubindè ſe in cubiculo detinenti, pauca pro communi praxeos more præſcripta, à pharmacopœo paranda & exhibenda reliqui, rus petiturus; at reverſo omnia pro phantaſia pharmacopœi, & diſcrepanter cum factitata tum adminiſtrata mihi plane viſa ſunt; inſuper patienti à myropola iſto è lecto ſurgere,

surgere, circumcirca ambulare, pluraque sanorum instar agere, licet variolis in unum coeuntibus & maturatis onustus fuerit, permissum, quinimo præceptum fuit. His perceptis, nec volui, nec debui medicamentum exhibere, quod hactenus me fefellit nunquam; at patienti valedixi. Notandum apud nos myropolas suo jure, invitis medicis, impunè praxin exercere, cum istis de morbo, ejusque causa, ac remediis disceptare, omnia istorum præscripta, secundum odium & benevolentiam, quibus vel medicum vel ægrum prosequuntur, concinnare; ut verbo perstingam, tam nomine quam facto medicorum munere apud plebem, & haud paucos magnates funguntur. Sed de his in alio tractatu satis.

11. *Qui modo diverso* morbum hunc fædum spectare volunt, pro verisimili tantum habeant hypothesi, quod sit primitus totius cruoris *apostema* ceu abscessus, postmodum ad peripheriam translatus; inde sane symptomatum omni-

omnium rationes, præsagia, nec non curandi indicationes multo magis perspicue, & commodius evellentur, quinetiam plurima à gregariis medicis tam dicta quam præscripta non tantum perperam acta tibi videbuntur, quinimo experientiæ adversantia comperieris. Atque ut ingenue fatear, hoc medicamentum supra dictum, & perpetim felicissimo successu à me exhibitum, debeo præfato supposito.

12. Tussis, prout ante retuli, expectorando curatur; in hunc finem accitis syrupis, aliisque saccharo conditis *Compositis*, quæ nonunquam in remediorum expectorantium pessima cedunt, ratione, qua inferciunt & aggravant stomachum, quamvis actutum leniendo, & levamen afferendo, patienti prompte fidem extorqueant, admodum ea emolumento ipsi esse; de tempore in tempus ideo libenter se præstolaturum fore pollicetur, usque abstinentiæ ope natura pituitam exuberantem exploserit.

13. In

13. In hujus materiæ ampliorem explicationem animadvertendum, plures à ventriculo quam pulmonibus oriundas esse * *tusses*, & * *tussium* uberiorem partem in exorsu esse * *tusses* stomachicas, licet deinceps longiore duratione nonnullæ transmigrent in tussedines pulmonarias, atque tunc discrimen comminentur. Diaphragma, ipsi musculis abdominis & thoracis opitulantibus, æque prompte exonerat ceu displodit & projicit humores ex œsophago, & ductûs continuitate è ventriculo, ac ex aspera arteria & pulmonibus. Hospitantur hi humores in œsophagi glandulis, de quibus fusius in libro de scorbuto à me tractatum fuit, qui intumescentes, & irritati acrimonia ascita à *Dissolventis*, ceu fermenti vitiati stomachi commixtione, & diutine stagnando, partium consensu, & nervorum sexti paris vellicatione, diaphragma ad explodendum concient & stimulant. Assertum plane probat ar-

* Licet noverim tussim carere numero plurali, cogor tamen eo uti.

gumentum

gumentum a juvantibus & lædentibus: 1. In tuſſes lenientia medicamenta protinus agunt, quod, ut ab eorum immediata actione in œſophagum fluat, neceſſe eſt. Etenim procul omni contradicendi modo, eorum ut proprietates & virtutes in operationem differentem vertantur, debuit, priuſquam ad pulmones appellere poſſint. 2. Vulgo innoteſcit, vomitoriis & purgantibus ejuſmodi tuſſium millia, ventriculum evacuando, & à glandulis œſophagi proturbando, curata fuiſſe. 3. Acidoacria potulenta, ſalſa, & aromata perquam crebro tuſſedines violentas eveſtigio concitant. 4. Ipſius patientis ſenſatio * pondus & oppreſſionem, faſtidium & pepſeos diminutionem atteſtans, laticem illum circa ventriculum ſtagnare aſtipulatur. 5. Ab eſculentis abſtinentia, eos in ſtomacho humores diminuendo, affert par argumentum. 6. Tuſſiendi profunde diutinæ, & frequenter in nauſeam & vomitum terminantes viciſſitudines, ſtomachum

* *Senſus.*

esse affectum dilucide ostendunt in hujusmodi tussi. 7. Pituita projecta haud raro colore luteo, prasino, aliisque coloribus multijugibus imbuta, in multis casibus *Dissolventis* vel fermenti stomachi qualitatibus & naturæ imputanda est pro cibi pridie, vel duobus retro diebus indole ingesti. 8. Eandem pituitam chylo haud confecto perfusam esse, observatum fuit. 9. A syrupo violarum, tussiendo & pituitam cæsio colore tinctam expectorando, rejecto, argumentum apprimè clarum deducitur, è stomacho vel œsophago istiusmodi excretionem profiliisse. Præterquam ista, argumenta alia plura, hic insertu nimis prolixa, omittenda sunt.

13. Quæ nonnullis decem, viginti, triginta, quinimo (prout experientia asserere possum) quadraginta annos tusses incommodavere, haud dubiè stomachicæ sunt; atque fonticuli vel cloacæ munere fungentes, vix morbi, quin evacuationes necessariæ sunt appellandæ; at cautè admodum cum iis est agendum; validis enim purgatoriis repetitis humo-

humoribus violentius deorsum protrusis, natura à viis assuetis aversa aliquanto temporis stadio, magnam jacturam est passura. Haud raro tussis *chronicæ* fit transitio ad Phthisin cum febre hectica, vel ad febrem continuam putridam. In Phthisi febri hectica stipata, pituita expectorata ut plurimum particulis purulentis est conserta.

Quandoquidem tractatum de tussibus è professo exarare *nullatenus* mihi fuit institutum, præterquam tibi modi specimen eas expectatione curandi exhibere, quod in hoc & præcedentibus morbis exemplo duxisse sufficit; ad proximum me confero.

CAP. XXIV.

De usu & abusu Coll—ii medicorum.

MEdicorum Coll—ii nomenclatione apud egenos & locupletes, gregarios & magnates, lymphaticos & aliquantulum doctos strepitum adeo atrocem spargente, quid de re sit statuere, lectori è re futurum esse reor.

Coll—um medicorum voluntarium & amicum est Symposium, Societas, seu Associatio Medicinæ Doctorum consensu mutuo instituta, & concessa sub conditionibus certis, justis, & æquabilibus, regulis, legibus, pactis, & promissis, corroboratis, & ratis factis Magistratus concessione & approbatione in hunc finem, ut benevolentia reciproca, gestu amico, & reverentia singuli singulos prosequantur: praxeos exercendæ normæ justæ vel canones instituantur, moliminibus junctis & collationibus amicabilibus ars promoveatur, & in primis ut omnia in omnium & singulorum ipsorum curæ subjectorum rem,

rem, quinetiam in artis decus collimentur. Quodcunque ad descriptionis hujus particulas non quadrat ad amussim, vel ab illis aberrare videtur, usitatos & ad diem institutos medicorum conventus, infert, esse *Pseudo-coll—um*, combinationem, congressum tumultuosum, vel medicorum fascem perperam colligatum, ad finem assequendum ab unoquoque sibi singulari propositum, in communem omnium praeterquam ipsorum jacturam, adeo ut comminatio, vel medicis vis illata haud legitimis detentionibus seu prensationibus, in carcerem compingendo, arroganter & è magisterio mandato scripto citando, vel per bidellum, calumniis & scandalis, ut eos in coll—um suum pellant *Pseudomedicum*, nec sit amica, nec voluntati grata, nec unquam in Societatem coalitura, quae inter membra vel col - gas amicitiam veram & laudabilem implicat. Ex adverso, qui more eo sunt pulsi, quod istiusmodi dedecoris sensum servaturi sint, admodum probabile est, qui in

perpetuum rictus, conteſtationes, altercationes, injurias, & contumelias eſt pariturus. Qua propter peregre proteſtantis religionis coll—iis omnibus in conſuetudine eſt, ab urbanitate & bonis moribus profluа,

(*Didiciſſe fideliter artes,*
Emollit mores nec ſinit eſſe feros).

quam primum de adventu cujuſvis medicinæ doctoris, illiuſque ſui ibidem ſtabiliendi propoſito certiores facti ſunt, duos ex ipſorum corpore coll—gas medicos delegare ad illi in ædibus ſuis vel hoſpitio congratulandum, atque gratiſſimis verbis invitandum, ut ſui conſuetudine illos in coll—ii conventu dignetur proximo, in quo illi ipſorum ſtatutis exhibitis, eum admodum humaniter obſecrant, ut ſe membrum ſodalitii eorum præſtet, coll—ii legibus ſubſcribendo.

Ipſorum negotiis, & collationibus medicis peractis, ſeſe mutuo inter meri aliuſve potus generoſioris pocula, (modica

molica tamen) colloquiis amicis & familiaribus delectant. Hoc revera ſocietatis vel conſuetudinis amicæ ſpeciem refert; peregrinum atqui, doctrina licet & peritia medicinæ doctorem clariſſimum ad ipſorum coll—ii tribunal à libello, nebulonis vel criminis cujuſdam rei inſtar, arreptum ceu prenſatum impingere, illique ſententiam hanc prælegere, turpiſſimum eſt. *Tu, ad locum unde veniſti, revertere, & inde membris noſtris ſingulis in ipſorum habitationibus ſingulis (ſubtegulaneis fortaſſis) capite nudo, & vultu demiſſo, libellum ſupplicem exhibiturum te ſiſtas, ut tui in ipſorum coll—um admittendi tibi copiam facere ipſis libeat, atque omnium ſuffragia adeptus huc reverteris, & in iſtius tabulæ imo te collocabis, capite aperto, geſtuque ſubmiſſo, ad omnia qualiacunque tibi proponenda interrogata reſpondebis. Ut pro laude digni diſcipuli more noſtrum meruiſti favorem, exigimus, ut ærarii noſtri præfecto triginta, quadraginta, octoginta, vel centum* (pretium enim pro rei

ipſorum copia vel inopia ex arbitrio ſtatuitur) *libras* ſter. *perſolvas.* Hæcce eſt coll —— rum nonnullorum prava conſuetudo, ad nebulones feros, infabre fœdeque indoctos ſpectans medicos, ſiquidem inter iſtius farinæ & notæ medicaſtros centenos vix latinitatis, vel decimarum in medicina ſcitu neceſſariarum decanum novi peritum, quinimo univerſam iſtiuſmodi homuncionum farraginem è ſacerdotibus exulantibus, *Barbitonſoribus*, imperitis, ſciolifque conſiſtentem quandoque comperi. Pariſiis *mulo-doctores* de admittendo in ipſorum coll—um tria vel ſex librarum gallicarum millia depoſcunt; Andegavi ſexcentas libras, & alio in loco centum libras *ſter.* avellunt. Num hæc pro arbitrio nummos extorquendi ratio, lege ſuppoſititia ſuffulta, pejor non ſit, quam a Calabriæ *Banditis* ſuorum captivorum capitibus multa pecuniaria impoſita, judicio tuo defertur. An medicus jure *Doctoratus* lauream adeptus, forſitan viginti, triginta, vel quadraginta annorum praxi peritia

peritia & doctrina insignis, turpiter à pseudo-coll—io, vel ab exlege fictitio & jure exciso coll—io (cujusmodi in Gallia, Italia, & alibi potissimum sunt plura, è quibus nonnulli sunt *Papistici*, Athei, impostores, *Barbitonsores*, Theologi *renegantes*, & myropolæ regis *mandato* ad *Doctoratus* insignia protrusi, vel *Doctoratum* nacti se cum principis peregrini cujusvis academiam invisentis assecla commiscendo, qui pro more gratis & honoris ergo gradu in quavis facultate condonantur. Nonnulli stupide sunt ignari, & forsan ab origine in *ptochodochio* quodam alumni, ac pessime educati, Italos *Bravos* ceu sicarios cædibus perpetrandis superantes) sit proterve citandus, & ab ejus quibusdam censoriis asinis examinandus, interrogata futilia & puerilia proponendo, ad quæ licet accuratissime ab eo fuerit responsum, ab illis tanquam ignarus respuendus est, in hoc institutum, ut cum omnibus ferme medicis legitime gradus adeptis barbare agendo, & hos ad statuta ser-

vanda cogendo, quibus conſcientiæ, probitatis, juſtitiæ vel honoris ergo ſe ſubjici nemo paſſurus eſt, monopolium ſubſtruant; quæro an non hæc omnia diabolorum geniis ſatius quam hominum competunt? Pius, eruditus, & legitimus Theologiæ doctor Epiſcopum accedens, ut gratiam & aſſenſum muneris alicujus eccleſiaſtici in ipſum conferendi, ab eo impetret, ſi ab illo ad ipſius ſacellanum domeſticum amandetur, ut ab hoc examini ſubdatur, tentando forſan an literas græcas α. β. γ. δ. legere calleat, annum pari agendi ratione, à *Chriſtianis* perquam aliena, Academiæ in qua gradum nactus fuit ille, ſummam illatum iri putas injuriam? Uterque coincidit caſus.

Coll—ii deſcriptio genuina praxeos regulas, & conditiones idoneas inſtituendi, & moderandi, è præcipuis unam veram eſſe cauſam finalem, aſſerit, i. e. normas & ordinata talia delineandi, quibus medici in conſultationibus celebrandis ducantur, & dirigantur,

dirigantur, videlicet. 1. Medicus senior ultimus sententiam declaret. 2. Opinantium suffragia perstringere, & determinare, sit penes medicum primo vocatum, vel patientis ordinarium. 3. Ne medicorum quispiam sese in patientis gratiam insinuet, ad medicum ordinarium inde excutiendum, & id genus alia: At statuta hæc coll—io spurio antè suppositio minime sunt referenda; genuino tantum, cujus coll—gis in omnibus regionibus jus æquale praxin exercendi tribuitur, utpote ab academiis oriundum. Medicorum coll—ii arrogantia examinandi, & celebrandæ praxeos copiam faciendi, est plana & effrænata in academias illata injuria. Utique pro naturæ ordine fit, ut, qui facultatem ceu artem doceant, iis integrum sit judicare, & dignoscere, quando eousque profecerit discipulus, ut eandem exercere facultatem ipsi licitum fuerit. An non inique in academias agitur, ipsas honore & compensatione orbando, discipulos donandi privilegio, id ipsum exercendi, quod illos

illos docuerint, ut tantum impendii & operæ profeſſores ſuſtentandi dederunt? Privilegium & copiam medicinæ celebrandæ concedere, ſi tale quid aſſerere haud valeant, fraudi academiis omnibus eſt vertendum; profecto nulli niſi mentis inopi quicquam ſimile conſonum videri poteſt. Si coll—io medicorum effutienti, facultatem medicandi elargiri, volupe eſt, itidem ad prælegendam & docendam Medicinam, nec non graduum honores conferendos ejus munus foret, atque hoc poſito, ejus ſtatus academiæ par eſſet. Nequè *Papiſticum* medicorum coll—um (peregre) potuit vel debuit eo arrogantis impudentiæ pervenire, ut de mala praxi hi decernant, & ejus gratia multam pro arbitrio irrogent, vel in carcerem compingant, indè enim hos tam judices quam reos agere ſequeretur, quod abſurdiſſimum ſonat. Inſuper, eos jus regale ſibi vendicare conſtabit, quippe judex ſupremus eſt princeps, nullo eum loco ſuperante, perinde coll—um de mala praxi

praxi ſummum judicem agere profitetur, ſiquidem nullus illo ſuperior ſit, qui de ipſius mala praxi, quoties eam patret, ſtatuat, niſi ponatur, quod non magis coll—um quam princeps errare poſſit. Adhæc decretum ferre, determinare, multa & nervo plectere, eſt magiſtratus civilis invadere poteſtatem, hujus dominatum putare, & dignitatem venerationemque ei debitam lædere, quod impudentium impudentiſſimum eſt. Aurifabrorum curia ceu contubernium jure non minus æquo in contubernales, & peregrinos animadvertere, vel in vincula contrudere poteſt, de legitimo argento & auro operis argentei aureive effingendo, vel adulterando, quam Coll—io medicum de mala praxi vel cæde ſupplicio afficere, vel pro arbitrio pecuniam ingentem de comprobatis vel depravatis medicamentis diſtrahendis myropolis, vel circumforaneis extorquere licitum eſt. Hæ ſunt cauſæ, quarum diſceptatio ad magiſtratum civilem ſpectat, & ſub diverſis capitibus corpus juris civilis

civilis legibus est instructum de medicis, pharmacopœis, circumforaneis, aliisque ob malam & illicitam praxin castigandis; atque quandoquidem de singulis criminibus & delictis solius propriæ curiæ forensis est animadvertere, damnabiturne reus à medicorum coll—io, & postmodum plebiscitorum ratione est puniendus? Hoc absurdum profecto est. Nullus enim de eadem culpa secunda vice plecti potest, vel debet.

Omnes in Coll—io medico ut doctores medicinæ sint, oportet, nimirum ordine & dignitate æquales, neutiquam aliis alii præcedere arrogantes, nisi decoris ergo senioribus concedatur. Ni hoc statuatur, quomodo Societatis, vel in sociabilem consuetudinem instituti conventus titulum mereri possunt, qui è rei natura membrorum paritatem & æqualitatem implicat? Denique ut hujus discursus veritatem asseram, copiam mihi des in exempli & speciminis vicem te ad statuta coll—ii medici Hagiensis pharmacopœæ referendi,

ex

ex æquo & juſto tam in rem publicam medicam, quam in rem laudati ordinis, regiminis, & artis decoris à coll—gis juſtitia, urbanitate, doctrina, & peritia clariſſimis concinnata.

Porro in aliorum coll—orum, & unius præſertim (in quo vix tertius col—ga latine loqui callet) dedecus, omnia in præfato coll—io ſermone Latio tranſigenda ſunt, ac etiam conſultationes celebrantur: & quod pecuniam de admittendo in horum coll—um attinet, adeo modicam exigunt, ut ſumptibus neceſſariis tantum ſufficiat, quinimo ab iis quibus res anguſta domi eſt, ne obolum quidem poſtulant.

Præmiſſis paginis quum obiter de ſtudioſo juniore in medicina dirigendo tantum paucula adjecerim, hoc inſuper addendum habeo, ſcilicet, quod nulla prout ſciam ex academiis, quarum plures pridem frequentavi, Lugdunenſi apud Batavos, quoad rem botanicam, anatomicam, chymicam & medicam, tam theoreticam quam practicam

cticam potiſſimum, ſecunda eſt, neque Venetorum Patavium, *Bononia*, Mons Peſſulanus, nec Pariſii in eodem cum illa paragrapho nominari dignantur: quamvis ob alias rationes eas viſere ſtudioſo fas fuerit, prout in tractatibus quibus tituli ſunt *Medicus omni genere abſolutus*; *Conclave medicorum*, & *Caſus Medico-chirurgicus cujuſdam nobilis* à me oſtenſum fuit, & in quibus medicorum nonnullorum fraudes, indignæ praxes, & errata detecta fuere, quorum indies ab unoquoque carbone notanda exempla recentia occurrunt, & in plura ſecula occurrent.

Ex allatis mihi propalam fit, * Coll—rum medicorum, ceu medicaſtrorum verſipellium confarreatorum rectius, non è re publica, ſed ex horum verſutia primordium ductum fuiſſe, ficta licet ſub ſpecie praxin moderandi, & regum ſubditorum vitæ cavendi, quorum nihil minus finem aſſecuti ſunt, nec unquam iſtiuſmodi quid ipſis propoſito fuit. Atqui ſibi monopolium condere,

* *Pſeudo Collegiorum puta.*

condere, eruditissimos, peritissimos & probissimos abigendo, à quibus aliàs ipsorum tendiculas & dolos in propatulum latum iri verebantur, ipsis summæ fuit curæ. Quò autem opum sibi aggerendarum viam struant, oportuit ut vi unita, quæ ubique fortior (ideoque se in Coll-um adunarunt) populi fæci, aliisque ingerant, extra se & ipsorum Coll-um, nihil doctum nihilque peritum inveniri, in cujus testimonium *lit. pat.* plebiscitis munitas, & figurato obtentu acquisitas, ædes conventui ipsorum deserviendas publicas, & singulorum privatas sumptuose & affabre extructas, equos hinnientes ad pampilla splendida conjugatos, & pediſſequos suos (proh ostentationes illas ludificabiles & fallaces!) illis præ oculis affigunt. Utque luculentius de ipsorum eruditione constet, libellum nonnunquam de subjecto uno vel altero medico, mendis grammaticis & miserandis conspurcatum, atqui ab uno ad alterum, tertium, & quartum didascalum grammaticum, aliumve

Grammatices.

Grammatices peritum transmittendum, ut eorum emendatione & phrasium insertione poliatur, produnt: tuncque utut latinitate donatum manibus plaudentibus ad cælum usque provehunt, licet singuli vix verbis vere latiis, & γραμματικῶς sermonem sive colloquium vel genuine pronunciare, vel ducere possint. Quoad sensum contentorum in ejusmodi libellis, plerunque subjectis proletariis fictis & mentitis, nec non narrationibus liquido falsis scatent Hæc omnia perquam vera de nonnullis apud * G- s Coll - is attestor, & de iis me hic, & in præcedentibus sequentibusque intelligendum volo; si autem ad aliorum pedes habilia sint, ipsis male res vertat. Hisce artificiis apud plebem tantum profecerunt, ut eo res redierit, si quandoque coram illa de arcessendo hoc vel illo medico discursus habeatur, quam primum quæstio fit, est ne è Coll — o medi-

* *Parcant mihi manes hyperthalassiorum Coll — rum, quum de iis poeticè loquar, similique modo ob plures rationes me exprimere cogar.*

corum?

corum? Si autum extra horum gregem maledictum ſit tanquam vile animal reſpuetur, licet ipſe fuerit Hippocrates, vel Galenus. Siquis opera medici extra Coll—um cujuſvis morbo liberatus fuerit, vel ſe unquam morbo laboraſſe, vel integre curatum eſſe ad aſſenſum vix adduci poteſt. At ſi medicamentis veneniferis, & methodo medendi mendoſa à medico Coll. palam & ſub dio necatus fuerit, aſtantes, affines, & hæredes illum vi morbi oppetiiſſe, neque ullius licet peritiſſimi extra Coll. medici, imo ne angeli quidem è cælo deſcendentis ope ſuperſtitem eſſe potuiſſe, conſtanti animo credunt, & affirmant. Vulgo, pharmacopœis, chirurgis, cæteriſque aliis in rem ſuam hoc modo diſpoſitis, ignorantiæ ſuæ, artis medicæ colendæ incuriæ, acædiæ, & gulæ ſe prorſus indulgent, & omnigena fraude & fallacia, modis & viis, in rem ſuam augendam omnino incumbunt, ad Coll—ii fores aditum omnibus quibuſcunque ſciolis, imperitis, ſeque ipſis longe magis ignaris patefaciunt.

patefaciunt. Hinc turmatim barbitonsores, myropolæ, circuitores, sacrificuli perditi, Galli, Belgæ, Germani, & ejus furfuris homines advolant, nummis ad minus centum libris *St.* valentibus persolutis Coll. sinu excipiendi. An non egregie ista ratione de lit. patent. Reg. istorumque de vita subditorum specioso cavendi obtentu, actum est? Ut me verbo perstringam, ubicunque terrarum Coll – ia medica privilegiis, & concessionibus præter modum & supra omnem rationem datis, vigent, ars medica in fumum & pulverem est haud dubie abitura, & in plurimorum patientum perniciem cessura; si quidem medici taliter muniti & tutati ut plurimum indole sunt avari, arrogantes, atroces, malevoli, infestantes, mendaces, subdoli, impii, quapropter caute admodum ampliſſima jura istiusmodi turbæ elargiri magistratus prudentis est.

CAP.

CAP. XXV.

De medicarum consultationum ineptiis.

TImor & diffidentia, quorum mater est ignorantia crassa, bini sunt aculei, qui patientem in consultationem duorum vel plurium medicorum exigendam stimulant. Atqui quum quæ ab aliquo diffidentia & timore perculso geruntur, exitum sortiantur infelicem, sæpius consultatio metu & spe facta accita, in finem lugubrem desinit. Properanter è discrimine evadere annitens, in majus haud raro incidit, cujus documentum in ægris consultationum avidis potissimum elucescit. Rationes non paucæ sunt in promptu. Si à medico mediocriter tantum erudito & perito, nec non rei suæ, famæ, honori vel conscientiæ aliquantulum consulente, curandus susciperis, hic noctes atque dies sedulo & pro summis viribus tuæ saluti recuperandæ totus vacabit, partim lucri gratia,

gratia, & partim aliorum causa, quos te sub ejus cura sospitem spectantes, ipsum eodem morbo laborantes adituros fore sperabit. Porro perpetim mente volvit, admodumque metuit, si omnia tibi ipso medicante optatò non succedant, ne penes astantes, & plurimos alios foris, de ipsius fama & peritia agatur, quod illius conatus geminaturum est, ne spe praxin suam ampliandi decidat. Vilioribus & secundanis lucri & praxeos auctioris finibus spretis, medicus generosus famæ, honoris sui artisque, conscientiæ, & potissime in proximum amoris motu latus, æstu longè concitatiore percitus, patientis curæ & medelæ inhiat. Altrinsecus, cum medico antè citatis stimulis adacto alterum pluresve consultandi ergo conjugando, hunc sane, tam indignè, ingratè, & præ turpi metu temerè & incassùm ei diffidendo, in haud immerito stomachandum, & inique ferendum candefacies. Quantum compendii hac ratione feceris, auscultа. Unus, duo, pluresve medici

ad

ad alterum ordinarium, ut juxta illum conſilium de patientis morbo abigendo ineant, accedentes, quam primum ex eo pro magiſterio ſciſcitant, quid cum patiente egerit, quæ remedia, quota, qualia, & quanta, quando, & quomodo applicita, & applicanda ſint, nequaquam in finem, ut patienti opem ferant, ſed ut de eo præ temeritate & indignitate ipſis illata (prout putant) ipſos per primum morbi inſultum prætereunte, aliuſque medici ipſis præhabiti opera potiente, nec non de medico eodem prius vocato ipſis inſalutatis tali munere fungi auſo, vindicias ſumant, ſub tempus inſtans in præſcripta hujus ſæviunt, remedia vellicant, inſcitiæ & imperitiæ eum inſimulant, omniaque ab eo peracta vitio & errori vertunt. At ut iſte medicus tam penes patientes, quam alios male audiat, clanculo & præter modum illius errores didunt. Pro eo circa patientem redintegrandum ſe habent, atque ſi nec prior, neque cæteri advocati medici tantillum ſolliciti fuerint, an

ſuperſtes

ſuperſtes ſit, an obeat, altero patientis obitum alteri vitio ducturo. Vel ne nauci quidem facturi ſunt, quid de patiente fiat, quum quod communi opera peractum fuerit, ab ullo aſtantium vel patientis amicorum, in illud minime graviter cenſendum, vel animadvertendum ſit, quinimo ab omnibus approbandum (quod ſemper fere fit) Coll – ii modo gregarii ſint (de *hyperthalaſſiis* loquor) putant. Haud raro contigit, ut Col – ga errati, facinoris nefarii, inſcitiæ, imperitiæ, vel diſcriminis in quo verſetur patiens, ſibi conſcius, licet primo vocatus, ſuapte ſponte & conſulto, facinoris & præallatorum tantùm diſſimulandorum gratia, alterum vel plures è Col – gis à patiente ejuſve amicis accerſendos eſſe curet, qua ratione famæ ſuæ conſultum iri ſibi proponit: Hi vero omnia rite, & juxta artem facta à priore, rata faciunt, & in ipſorum arbitrii ſignum, eadem repetenda, enemate vel ſimili addito, præcipiunt, cujus modi officio alter alterum reciproco compenſare

compensare tenetur. Omnia hujus generis medicis in emolumentum ut cedant necesse est, quinimo cadaver plurium humeris levius, quam unius ad tumulum gestatur. Quandoquidem à medicis officiorum in se invicem necessitudine devinctis, consultationes celebrantur, præ vulgariis, vilibus, & Expectationis remediis nihil inde resilire potest; etenim ad primum congressum duobus vel tribus nihili pene pendendis præscriptis, mox de aliis istuc non spectantibus, de novellis, scilicet de bellis ubicunque gentium, similibusve effutiendo, nasum nicotiana fumando, merumque potando ad mediam horam protrahunt, tunc ad patientis cubiculum recedunt pro sostris aucupandis, an non eximie hoc modo patientis saluti consultum, prospectumque fuit? Quandoque, quinetiam crebro accidit, ut consultationibus pro magnatibus interfint quatuor, quinque, vel sex è Coll—o qualicunque *hyperthalassio* (perinde me exprimere cogor) quorum æmula, male-

vola, & arrogans adversus se invicem, & potissimum inillos qui extra illorum sunt gregem, indoles, ipsos de industria, & mero contradicendi œstro in cervicosas & contrarias opiniones rapit, & dirimit, quod sæpenumero in summam jacturam, & nonnunquam patientis perniciem & næniam cessit. Celebri de nobili quodam plurium non infimæ classis medicorum consultationi antehac adfui, in qua suffragiorum diribitioni referenda fuit lis inter duos exorta, perque horam unam vel alteram acta, scilicet, num mel enemati cuidam communi addendum esset simplex coctum, an Anthosatum; utriusque partis argumentis auditis, nam cerebri quodam morbo laborabat patiens, pro mellis simplicis usu utpote magis stimulantis, calculum addidere plures; ad rationem autem (non absque ludibrio & cachinnis) qualitate cerebro amica mellis libanotidis imbuti responso, quod naribus quam natibus magis polleret. In alia pro dynasta consultatione rixa verbis & fustibus insignita ferme inter nonnullos

nonnullos fama præclaros medicos commota est, de pomo in patientis nutricatum communi opera præscripto, num sub cineribus assandum esset viteo folio obvolutum, an papyro fusca. Acriter inter partem utramque dimicatum fuit, haud omisso de præstantibus vitis folii dotibus pomo impertiendis, encomio prælongo. Plurima hujusmodi transacta lubens prætermitto, ne lectori nauseam moveam; hoc tamen addendum esse autumo, qui unius medici consilio utitur, medicum habet; qui duorum consilio potitur, dimidiatum tantum medicum habet; qui trium operam sibi admovet, nullum medicum habet. Præterquam, quod patientes rem suam decoquant, inutiliter pecunias in tot simul nepotes medicos erogando, & horum de lana caprina ineptis decertationibus tempus conterendo, quo occasio, quæ teste Hippocrate, *lib.* 1. *Ap.* 1. in morbis magni est momenti, temporius agendorum præciditur, emolumenti autem nihil ipsis retribuitur. Quocirca siquis adeo mente captus sit,

ut plurium medicorum consultatione gaudeat, de infausto successu aliave ratione medici peritiam & scientiam suspectas habens, eum prosus cum merito dimittat, aliique, cui libentius sè fidat, salutem concredat; si neque hoc ipsi satisfaciendo sat est, seorsim arcessat medicos, qui de morbo, ejus causa, medendi methodo, & remediis applicandis separatim sententiam atque rationes scriptis mandent, quæ omnia medico, modò sit probus & honestus, cuicunque suo ordinario approbanda, rejicienda, vel ex parte vel ex integro eligenda subjiciat, sum author, quo ritu omnibus prænarratis incommodis obviam ibitur, ac etiam mox sub nectendum discavebit. Siquidem ex innato medici utili publico nusquam invigilant, ast peculiari solummodo; trinario pluriumve numero in consilium è pericranio ipsorum depromendum aggregato, quisque horum morbo in filum producendo quam possit longissimum, strenue operam navabit, dummodo sat patienti nummorum suppetat,

ſuppetat, unde hi ſuam auri ſacram famem demulcere queant, decoris ſui vel artis nullam ræ habentes rationem: Etenim ſi è morbo evadat patiens, honoris nihil ſingulis ſeparatim accreſcit, quippe communi omnium afflatu opus præſtitum fuit; ſin ad plures abeat patiens, & hæc funeſta ſors communi afflatui debetur, undè etiam nè decoris arenulam ſinguli levius penſuri ſunt. Porro præter cætera peſſimum patientum capitibus impendet à conſarreatis & collatitiis medicis diſcrimen; quippe his perſæpe junctim, quod ſeorſim ſinguli præ nominis ſui bona æſtimatione facinus audax auſpicari *nullatenus* auſi ſunt, remedium aleæ quam maximè dubiæ experiri ſubit. Duorum vel trium medicorum *catervulæ* juſſu, pluribus quam uni mercurium dulcem binarum dragmarum pondere per diem bis, ad plures ſequentes dies exhibitum fuiſſe, multorum in memoria eſt, qui tamen ferme omnes de illorum temeritate, ad

octarum vel nonum diem mortis pœnas luêre.

Quod præteritorum omnium modum excedit, eſt de chirurgo quodam & lithotomo pariter tali quali, haud ita pridem Doctoris pileo ceu concullo (loquente auro) decorato (dedecorato rectius) commentarius: Inſulſus hic ſuo anatomico Doctore haud magis ſalſo, non lapide diſſito accola, ſtipatus, ſauciato, vel de calculo (inepte & miſeriter) ab ipſo patienti nuper cæſo ſyrupi de meconio uncias quatuor pro una vice, vel laudani opiati ſupra fidem grana plurima pro doſi, porrigere non veretur; quot autem bini hi conferreati medicaſtri ad orcum ablegaverint audacibus iſtiuſmodi auſis, horrendum dictu! Patientis cujuſcunque, patricii an plebeji, nihil refert, ægritudine plus quam evanida duos pluresve requirente medicantes, quia à primo inſtanti horum futili remedio non cedat, nè patiens de incaſſum ab iis applicitis alium ſibi accingat, &

iſto

isto more famæ jacturam patiantur, ad arma ferri & ignis acie acutissima & ancipitia confugiunt, aut malum aut patientem cæsuri; quàm hic de corio humano leviter ludunt, atque remediorum utcunque perquam insolitorum incultorumque desperanter periculum faciunt? Videsis *tractatum de casu cujusdam nobilis* haud multis antè annis à me editum, medicis indignissima, & barbarica in eo est legere. Quid dicam de medicis sanguinem patientibus perpaucis diebus ad uncias centum effundentibus, usquedum cum cruore animam emiserint, nec non de iisdem deleteria cathartica exhibentibus, centies sæpiusque alvum solventia, quibus uno eodemque die in lasano considentes ultimum obierunt? Agonizantibus ceu in articulo mortis agentibus ex antimonio vomitoria miserandis ægris ingerere, illisve cruorem depromere, quorum indies exemplorum copia penes medicos confarreatos extat, quam est barbaricum? Miserando morti ascripto, pacate summum

obeundi diem copiam facere, quam eum atrocius occidere, næ ſatius eſt. Aſt ſileantne inter hæc leges, rectius quæſiveris; neutiquam, torpent antem quandoque earum miniſtri. Huc ſpectat pro coronide geminorum ex eadem medicorum proruptorum academia recenſio, quorum alter in helluandi ac in multam noctem diemque cum cujuſcunque generis perditiſſimis ſtrenue compotandi dedecus deperibat, ſtudiis medicinæ aliorumque neceſſario impendendis in tantum repudiatis, nedum poſt poſitis, ut neque natare neque literas noverit. Geminorum alter pætus, & lippus humanioribus præ compari literis aliquantulum ab hoc libatis, at in re medica tam intellectu quam viſu ſtrabo erat, vafer pariter & aſtutus. Hi pares dum in lyceo patrio verſabântur, ſe mutuo medicorum inſtar (nam pro genio bruteſcenti neuter medici veri ſpeciem induebat) livore, odio, maledictis, & calumniis proſequebantur. Prior genio ſuo indulgendo, debacchando, & cum

cum multis ſtrenue compotando convivandoque dapſiliter, ac poſterior præter modum & ſupra omnem rationem ſanguinem in morbis (licet neutiquam à plethora ortis, quinimo corporibus plane vietis, exuccis, & temporis decurſu maceratis) quibuſcunque ducendo, ſe in praxin hubertiſſimam, quam minimè tamen proſperam immiſerunt. Illius peritiæ apographum conſtat, è domicellæ ferme exanimi, & pulſus ſenſilis experti, per aliquot dies decumbenti ingenti extracti Catholici ceu Rudii doſi præſcripta, cujus ſumendæ mandato ſi paruiſſet, certo certius ad ſupralunares commigraſſet. Huic plura alia conſimilia huc referenda faſtidium mihi moverent, quin libens prætermitto. Hujus, poſterioris nimirum, ad medicandum dotes innoteſcunt, ex adimendo viro cuidam in Athenæo prædicto morbo evanido affecto, cruore ad uncias neſcio quot ſupra centum, cujus hoc more è graviore diſcrimine evaſio medico huic lippo falsò dedicata, & à primo prax-

eos exordio circumcirca rumore dicta, hunc tanta insignivit fama, ut mirum mihi videatur quomodo se res habuerit, ut quispiam non tam de curando, quam de non occidendo tantas mereri laudes potuerit, quales eum post summi medici nomine decoraverint. At eo fallaciæ res medica rediit, ut si quis ab assumpto pro medici consilio pharmaco, utcunque lethifero vel funesto sospes exurgat tum Expectatione, cum tempore producendo *mediantibus*, pharmaco operis absoluti addicitur famositas, ratione haud dispari, ac si semel aut bis in die propinatis unciis duabus aquæ fontanæ, vel cichorei saccharo edulcatæ, vel silice latereve cocto in cervisiæ tenuis aut potus ordinarii haustulo macerato, patientique bis terve quaterve in dies exhibito, hic sub calcem quatuordecim dierum, temporis acutæ febris decursus vulgo recepti, morbo liber salutetur, omni casu næ dixerit medicus confarreatus, silicis laterisve cocti virtutem tantum præstitisse effectum, etiamsi lippis & tonsoribus

ribus innotuerit, illius terminationem à decurſu acutæ ægritudinis communi, & paſſi viribus profluam eſſe. Modo iſto in remediorum facultatibus perplurium, ab orbe condito in noſtrum uſque ſæculum miſere allucinati ſunt medici, pro ut in ſequentibus particulatim ſum animadverſurus. Pro epilogo ſolum hoc adjciam, *A conſultatione medicorum conſarreatorum libera me omneſque probos Domine*, ſpeciatim ab iſto bibulo, ac ejus pare.

CAP.

CAP. XXVI.

Quod remedijs Veris & certis ignoratis, methodus medendi nihili pendenda ſit, quodque vires à priſcis & recentioribus medicis ſimplicibus & compoſitis medicamentis aſcriptæ, generatim fere falſæ, & doloſæ ſint.

QUAM horrendum Arenarij obſtipique doctores de medendi ſua methodo mugitum hirquitalliunt, hujus quiſquiliarumque opera, miranda præ remedijs præpollentibus (quorum fœdè ignari ſunt) exerenda figurantes, quin futilibus contenti cætera ſcitu digniſſima è ſocordia ſuſque deque habentes. Atqui quoniam remediorum applicandorum rationem methodus implicat, de neceſſe remediorum notitiam peritiamque aſſerit præ habendas, immo eorum ignorantia omnes tam generales, quam ſpeciales methodi canones illudit. Quid enim in phthiſi molis hi afferunt? Contraria contrariis

is curantur; Similibus ſimilia conſervantur; Generalia particularibus ſunt præmittenda, &c. niſi ejus in pulmone ulcus, & hujus cauſam pus materiamve purulentam eſſe, & proinde pro indicantium regula particulari abſtergendum illud eſſe, ratum faciant. Denique quid momentoſi detergendi indicatio profert, ni de indicato conſtet, ſcilicet medicamento ceu remedio detergente, quod viribus integris, ſaltem haud prorſus effœtis, nec nimium fractis pulmones attingat, hoc ſimilive ignorato in phthiſi, phthiſicique, omnia præfata ad medicandi methodum ſpectantia, regulæ hujus tam univerſales quam ſpeciales, imo morbi ejuſque cauſæ notitia, & quicquid in omnibus totius artis medicæ partibus contineatur, pro nihilo ducenda omnia quoad phthiſin, phthiſicumque. Ut verbo protulerim, quemnam morbo curando magis putabis idoneum, num remedium expertum callentem, medendique methodi neſcium, an hujus gnarum, remedii autem ignarum?

Næ

Næ quod prior naturali methodo instructus ad curandum magis sit habilis, quam posterior sua artis methodo indutus, nemo inficias ibit; iccirco remedio apto & experto latente, nihil pollet quævis medendi methodus.

Præmissum argumentum in omnibus præterea morbis prævalens, enixe in remedia & medicamenta valida & idonea investiganda incumbant, adhortatur, detectaque priscorum more penes se recludant, ne myropolis præparanda in præscriptis tradita, postmodum ab his in medicorum jacturam & rem suam eorum officio abutentibus, medicis inconsultis, prout jam ubique Europæ ferme mos sordidus invaluit, ægris applicentur. Licet in medicina remediorum certorum inventio, & methodica eorum applicatio sub ejus artis cauda apponantur, præcipuum tamen medici munus est, eas præ cæteris excolere. Identidem medicorum, etiam anatomicorum præclarorum methodice medicandi conatus præcellerunt anicularum, clinicarumque mulierum me-

medicamina; Papæ quam insigniter in illorum artisque dedecus! Quocirca istis prioribusque rationibus adductus, à primo praxeos exordio me accinxi, ad sedulo observandum, quid singula simplicia, & composita medicamenta à Graijs, Arabibus, & Latinis medicis subsequentibus sæculis prolata, in singulos morbos, ceu in hunc & illum morbum polleant, circumstantiarum diversitatis soli, loci, temperamentorum, aliarumque debita ratione habita. Ut autem id quod res sit, accuratius perscruter indagemque, sæpius præscribenda remedia in quam minime còmposita ex instituto concinnare (quanquam à myropolis istius ratione, minus affabrè minusque medice extructa fuisse perperam sentitum fuit) assolui; utque quid certi, incerti, probabilis, improbabilis in uno, pluribus, vel omnibus compererim, expertusque fuerim, quidque à medicis in observationibus suis pompalibus, & nimium numerosis vere vel falso, mendaciter, dolose, & ex hallucinatione in lucem edi-

editum sit (de quibus inter plurimos pessime audit Zacutus Lusitanus) annotabo, at paucula, & obiter tantum, siquidem volumen maxime ingens vix decimas continere queat.

Quin medici antiquiores id temporis, vel recentiores (prout superius notatum) in hodiernum usque diem medicinam in sublimiorem gradum nec provexerunt, nec quicquam emolumenti vel cultus ei attulere, liquida est ratio: quandoquidem simplicibus & compositis pharmacis, eorumque virtutibus à priscis bona fide pro ratis, expertis,& certissimis receptis,neoterici hi illa in usum ducentes, in eoque persistentes, plurimis iisdemque morbis applicuerunt, quos curatos non *Expectationi*,tempori producendo,diætæ parciori, & naturæ viribus (ut fas erat) sed falso misereque errabundi, præfatis imputârunt medicamentis. Ideo ut pro lege sit habendum certissima; nimirum res in creperum revocando, de iis certiores fimus, i. e. dubitando sapientiores evadimus. Hic obiter notandum, superius

à me

à me assertum fuisse de morbis, in quibus medicamenta purgantia sunt extorria, scilicet in Hæmorrhagiis omnium partium, haimaptysi, tabe, febribus continuis putridis, visceris cujuscunque inflammatione, plurimisque aliis.

A priscis traditum, Theriacam, Mithridatium, Dictamnum, Scordium pleraque alia simplicia toxica, pestem, malignasque febres abigere; cæterùm quot veneno, peste, vel maligna febre obrutos unquam prænarrata periculo exemere? Utique è decuria ægrorum decumanus si restituatur graviter affectus, & novem reliqui leviter solùm lacessiti, licet omnes per diem sæpius theriaca, mithidatio consimilibusve spuriis alexicacis pariter muniti, prædicta mala enixe oppugnaverint, succumbant, quod in illa ne hilum quidem polleant, an non liquido concludendum? Quinimo quod in iis fiduciam reponendo, aliaque certo præpotentia prætermittendo, plurimis manus funestas attulerint medici. Oleum olivarium, lini, & id genus alia multò efficaciora

efficaciora ad venenorum aciem obtundendam ſane adducenda eſſent. Atqui quamcunque mentis caliginem excedit vanum futileque *Credendum* medicum; nimirum, quotoquoque ingredientum ſimplicium numero ſcateant Mithridatium & Theriaca, totidem ad unum morbos ea adverſari medicis ſuffragantibus; quocirca Cephalica (veluti ſunt ſtæchas, caſtoreum, acorus, libanotis, &c.) Oxydercica, ſem fœniculi, dauci, reliquaque *carminativa*; Acouſtica, ut ſunt caſtoreum, prædicta *carminantia* & aromata; Pulmonica, crocum nempe, agaricum, iridem florentinam, glycyrrhizam, &c. Cardiaca, ſcilicet aromata fere omnia, dictamnum, ſcordium & complura alia; Aſtringentia (qualia recencentur roſæ, acacia, hypocyſtis, bolus armenus, terra lemnia, chalcitis, &c.) Cathartica, agaricum, rhabarbarum; Deoppilantia, videlicet gentianam, marrubium, reliquaque amara, & Incidentia; Lithontriptica, Diuretica, & Anticolica, prout æſtimantur aromata, & ſemina

mina *carminantia*; ista inquam cæteraque omnia Mithridatium & Theriacam sinu foventia curare capitis morbos, omnes *tusses*, virium debilitatem, cordisque affectiones, alvi fluxus omnis generis (constipatam autem relaxare) hæmorrhagias, icterum, arthritides omnimodas, calculum, ischuriam, colicam tam flatuosam, quam bilioſam & pituitosam, quinimo morbos omnes licet contrarios, calidos, frigidos, humidos, siccos, febres continuas, malignas, querceras, scilicet tertianas, quartanas, &c. sancte ab hisce nugarum vendacibus (prout in codicum medicorum tam priscorum quam neotericorum elencho prostat) creditur, quorum tamen omnium contrarium verum est, quippe præ numeratas ægritudines vel certissime pariunt, vel summe saltem intendunt, atque nullo ævo vel tempore propriis virtutibus istiusmodi affectus spuria ista promercalia excusserunt, nisi fallaciter & *Expectatione*. Quod unum idemque medicamentum modo & vi iisdem, per se & non per accidens

accidens, ac univoce refrigeret, calefaciat, humectet, & siccet, morbos totidem impugnet omnino contrarios, absurdissima est contradictio, solisque medicis propria. Quin cuncta ista radicibus, foliis, floribus, & seminibus à Dioscoride, cæterisque neotericis botanicis, in suis pinacibus herbariis accenta præconia ejusdem sunt furfuris, siquidem vix herbula vigesima, etiamsi per ævum indigitatis affectionibus admoveatur, quicquam laude dignum præstiterit. E præmissis concludere par est, quod *librarii* doctores sint ferme omnes medici, quandoquidem nihil sciunt, vel in praxin ducunt præterquam contenta & lecta in græcorum & arabum adversariis; quæ licet falsa & mendacia sint plurima, taliaque ab ipsis comperiantur, nihilosecius fide tam immensa ea prosequuntur, ut remediis à græcis & arabibus prædictis ipsis commendatis, & in usum incassum allatis, rem male evenientem minime vertant, at satius vel morbo nimia vetustate invalescenti, insuperabili,

bili, indomito, vel lethali, viribus patientis præfractis, medicorum imperitiæ, inſcitiæ, horumque in applicandis medendi methodo enormatæ, iſtoque more veluti aſini cervicoſi eodem tramite incedunt. Adeo veneranter antiquorum, utcunque falſariorum, remedia excolunt, ut hypotheſes medicinæ nuperrimas illis conſonas, & ex omni parte cum eis adæquantes effingant. *Williſius* qui ſubtilitate & concinnitate plura, præ omnibus, egregia phænomena ſenſu quodam nova adumbravit, ad antiquorum remedia tamen ea accommodavit, ideo ut de curandis ægris peſſime audiverit, quamvis praxeos medicæ copia inclaruerit, eadem cum cæterorum medicorum caterva in uſum aſciſcens. Quinimo *Harvæus* de ingenioſiſſimo ſanguinis circumfluentis invento inſigniſſimus, ob remedia fallacia à priſcis tralata, morbis curandis ſe inauſpicatum ſubinde præbuit, attamen nequaquam medendi methodi depravatæ inſimulandus. Pariter propter humorum triumviratum, aliaque recenter

recenter ab ipso parta, penes suos meritissimus fuit Sylvius discipulos, nullo pacto ob misturas ex aquis simplicibus mucidis, aqua prophylactica vel theriacali, syrupo uno vel altero effæto perfusis, & cochleatim exhibitis; nihilominus *Expectatione* curando secundus omnium clarissimo evasit: Atque hoc magni istius viri memoriæ debetur, quod si perpaucos evidenter & ad sensum remediis curaverit, perquam pauciſſimis aut nullis noxam intulerit. In librorum ceu *librarios* doctores nullatenus animadversum fuit, quod antiquorum libros practicos botanicosque sedulo perlegerint, utique id genus pensi necessario illis incumbit, attamen nihil usque adeo, ut indé expiscentur, quæ remedia morbos abigere valeant, quam quæ haud prorsus in morbos valeant, ne in posterum defraudentur, & vita argentoque patientes suos defraudent, quin potius studii eorum remediorum, quæ ad sensum & perspicue morbis mederi polleant, satagant.

Reperi-

Reperiuntur perſpicaci judicio, candoreque præcellenti dotati medici, qui remediorum incerta fallacique energia perluſtrata, Medicinam abdicârunt, ac ſeſe omnino Theologiæ ſtudio, & Divinorum cultui dederunt, id quòd incertum in certiſſimum commutaturi forent, undè luculenter ſuperius aſſerta confimantur; aſt è contrario nonnulli exile Evangelii prædicandi præmium mundanum aſpernantes, de que ipſorum munere *Eccleſiaſtico* à vulgo prophano vili penſi, ad medicandi exercitium ſeſe accinxerunt, inter quos memini ſacerdotulum, neſcio quo fictæ conſcientiæ aculeo ad regni leges ſui conformationem deprecantem, quin turpi lucro pellectus, medicinæ praxi ſe prorſus devovit, è ſuis quondam auditoribus periculum peritiæ ſuæ in ipſorum corporibus facturus, ingentem pecuniam lucratus fuit. Virum hunc (quem natura fruſtrata in bajulum deſignaverat) mendaciſſimum, ænea fronte pluribus præſentibus medicis narrantem, haud

ita

ita pridem obſtupeſcens demiratus ſum, ipſum ſalis ſuccini quinque ſolum vel ſex granorum pondere, è patiente quodam, hydrope impenſe ventricoſo abdomine ejus dolium vaſtum excedente, indies ſerum plures hydrias adimplens per urinæ ductus exantlaſſe; papæ quam horrendum mendacium! indè conſtabit, qua fide homuncionem hunc de tabe tabidiſque ab ipſo curatis concionantem audire par ſit; neque latinitatem ullo modo mirari tibi ſubeat, quandoquidem (prout ſuperius notavi, & hic in eorum dedecus repetere lubuit) penes medicos confarreatos ſolum invaluit mos, quibus libelli cujuſlibet ſcribam agere volupe eſt, materiam modo ipſorum lingua vernacula, aut nonnunquam voculis latiis barbaris, & haud raro agrammaticis adumbrant; re ita peracta apographum ad plures amicos transferunt, qui ſucceſſive & alternatim librum corrigunt, verba barbara expungunt, magis latina inſerunt, & à mendis ſphalmatibuſque liberant; cæterum

terum ut elegantiarum & florum latinorum copia decoretur, uni, alteri, & tertio pædagogo, ludi-magistro, vel scholarchæ obtruditur, qui libros phraseologicos pervolvit omnes, ut indè excerpat inseratque in libellum hunc jam propediem in lucem proditurum, dictiones *Ciceronianas*, omnesque alias compte dicendi species. Fœtu spurio parto quantus jam intumescit author, qui tamen præter verba nihil rei notatu dignum conscripsit. Novi quempiam haud ita pridem hominem (Coll. L —) supra modum heterodoxum, qui plura commentariola conscripsit, nempe de variolis unum, tam quoad earum theoriam spectet, quam praxin, omnifariis anomaliis refertum; variolas enim spiritibus *vitrioli*, sulphurisve julapiis refrigerantibus perfusis, item aere gelido, & vento per feneſtras patentes admissis, &c. expellendas esse voluit; alterum haud minus heterogeneum de febribus observationes, ut plurimum fictitias exhibens; tertium de Arthritide, omnimodis

nimodis fallaciis depictum; at omnia quidem latinitate (pro hujus collegarum suffragio) satis ornata à pædagogo uno atque altero, aliisque authoris amicis; nam res mihi addubitata est, & haud immerito, num ipse hic codicum prædictorum scriba quicquam latine præterquam conjunctiones, & adverbia nonnulla (videlicet; sic, ita, etiam, imo, nequaquam, & similia) exprimere calleret.

Alter Coll. ejusdem quinque vel sex ab hinc præteritis annis emersit *mediculus*, sane fanaticus satis, at indole audaci & arrogante, cui in more fuit, atque etiamnum est, in aquarum destillatarum ʒiiij. velsex dissolvere *Diascordii* grana duo vel tria, additis syrupi cujusdam *cardiaci* guttis totidem; item nonnunquam *mannæ* grana duo vel tria in purgante Infusione vel decocto liquanda præscribere: Altroversum, *mercurii* dulcis, & corticis *chinchinæ* usu adeo magnanimus est, ut prioris dragmas plures, & posterioris uncias aliquot ad haud paucos dies singulis

ſingulis diebus ab uno patiente deglutiendas eſſe jubeat; quæ omnia perinde abſurda ſunt, ac ſi dixerim, hunc de diſſecandis inſectis eſſe ſcribam maxime habilem.

Omiſſis hujuſmodi digreſſibus calci hujus capitis adjiciendum habeo, quod univerſa ars medica admodum ſuſpecta mihi videatur, animo volventi ejus primordium ab ægrorum experimentis in ſe tentatis, vel ſibi conſilio, aut fortuitò applicitis ductum fuiſſe: Horum ſucceſſus proſper abaco in Apollinis templo ſuſpenſo inſerendus erat, ut unuſquiſque morbo laborans ſe illuc conferre poſſit, ad expetendum vel ſeligendum remedium ſibi proprium. A variis hiſce experimentis univerſales canones,& theoremata abſtracta fuere, quæ in methodum ordinemve digeſta, artem medicam formarunt. Indè ſequitur hic canon, re naturaque remedia, ceu experimenta in morbis priora eſſe omnibus de morbo quocunque, ejuſque cauſa digreſſibus, ſtatutis, vel theoreticis notionibus, hæcque prorſus

ſus falſa eſſe omnia, ni de remediorum veritate conſtet. Theoremata ergo iſta generalia medica à veterum experimentis ſimplicium & compoſitorum medicamentorum deſumpta, ſi fallacia (prout ſunt plura) comperta ſint, etiam illa his ſuperſtructa doloſa eſſe, inferendum eſt. Paradigmatis gratia; in febribus continuis putridis antiqui tradiderunt, aquas cichorei, endiviæ, lactucæ, fontis, aliaque refrigerantia febribus mederi. Inde intulerunt, febrim eſſe morbum calidum totius corporis, vel calorem univerſalem; cauſam ejus eſſe bilem, aliumve humorem putreſcentem; nam obſervaverant omnia putreſcentia calorem parere, prout liquet in ſterquilinio, quod ſimulatque computruit, ſi moveatur, & fumum, & calorem emittit. Atqui haud omnino illam oppugnant refrigerantia prædicta, nedum ut eam atterant vel extinguant, quin potius perſæpe intendant: Ergo nec à cauſa calida oriuntur, nec calidæ ſunt omnes febres, neque univerſim

febris

febris calor, ceu fervor est, prout receptum ejus etymum, vulgataque definitio (aut descriptio latius) stant. Pariter attenuantia, sicuti æstimantur radices quinque aperientes, graminis, similiaque; vel incidentia, veluti acetum, spiritus *tartari*, sulphuris, salis, *vitrioli*, succi citri, granatorum, cæteraque ex his *oxymelita*, aliaque acida composita, obstructiones vix referant, nec humores crassos pituitosos adeo incidunt; idcirco supposito hoc, vel humores simplici crassitie non constipant, nisi tenacitate & glutinosa qualitate ei implexis, quibus qualitatibus à particulis ramosis & hamosis emanantibus imbutos, nec particulæ tenues & volatiles aperientium prædictorum attenuant, nec acido-salsæ terrestres incidunt, verum eos condensant, coagulant, constringunt, & è consequentia oppilant. Quocirca medicorum propria videtur assertio sc. quod spiritus sulphuris, *vitrioli*, tinctura *chalybis*, *&c.* astringant (pro omnium authorum testimonio) in sistendis hæ-

morrhagiis, & nihilominus quod iidem ſpiritus aperiant vaſa conſtipata, prout iidem authores paſſim evulgant, ſunt aſſerta plane è diametro oppoſita, & contradictoria; atque licet ſint talia, tamen ea eſſe vera confirmare conantur experimentis plurimis allatis, quibus conſtare perhibent, & obſtructiones ægrorum fuiſſe præfatis ſpiritibus reſeratas, non minus quam ſpiritibus iiſdem patientibus aliis hæmorrhagias cohibitas fuiſſe. Quantum ad experimenta priora, autumandum quidem, nonnullos fuiſſe obſtructionibus liberatos, qui prædictis ſpiritibus uſi ſunt, non ope eorum, ſed vel ope detergentium, quibus admiſta fuere acida, vel per accidens fermentationem movendo, vel prorſus *Expectatione* curati ſunt. Poſteriora quod ſpectat, veriſſime aſſero, me plures noviſſe narium hæmorrhagia obſæviente, & leviſſima occaſione recurrente, aliquot annos laborantes, qui incaſſum aſtringentium præpotentium (ſpiritibus *vitrioli*, ſulphuris; roſarum rubrarum, lapidis

lapidis hæmatitidis, coralliorum r. & *chalybis* tincturis neutiquam præteritis) omni genere, incrassantibus (inter quæ sempervivum majus præcellit) emplasticis (sc. Amylo, terr. sigill. Bol. Armen. creta, gum. tragac. Arabic.) itemque tota substantia (uti apud gregarios insignitur) adversantibus (veluti recensentur urtica major, lapis aquilinus, lapis bufonius, bufo, camphora) adhæc diæta ex oriza in in lacte cocta, jusculis è glutinosis animalium partibus, videlicet pedibus vitulinis & ovillis, adjectis nonnunquam limacibus mundatis, dico, his omnibus aliquot menses, interpositis etiam venæ sectionibus, accurate usi fuere in irrita cedentibus. Tantum abest, ut hæc remedia sanguinis fluxus ἄνω vel κάτω repulerint, quin potius intensiores reddiderint; cuncti ferme taliter affecti, & simili ratione tractati, in tabem collabuntur.

Horum consequentia asserit. 1. Medicos omnes antiquorum sanguinem

repulsantibus medicinis fidem habentes, egregie deceptos fuisse. 2. Sanguinis fluxus effrænati causam perperam stabiliri in illius tenuitate, at rectius quidem in acrimonia acido-salsa, cujus effectus sunt tenuitas & fibrarum defectus in sanguine. 3. In hæmaptysi * pro theoria gregaria (quantopere falsa) indicationes sunt perquam contrariæ sc. sanguis cum sputo prosiliens (secundum has) cohibendus, repellendus, & astringendus est medicamentis terrestribus austeris, acerbis, contrahentibus, & incrassantibus; materia autem crassa, sive pituitosa, sive purulenta, sive ex utraque mista, in pulmonibus vel asperæ arteriæ glandulis stabulans, illum ut plurimum cum tussi nonnunquam moderata, interdum violenta comitans: prior est coquenda, attenuanda & incidenda medicamentis calidis è particulis subtilibus consistentibus, quò expectorando projiciatur; posterior a-

* *Putà è pulmonum vasis ortum decente, & subinde in phthisin ceu pulmonum ulcus degenerante.*

maris

maris vel ſalibus *ſpecificis* eſt detergenda. Tuſſis autem in ſpumam ſanguinem agitans, pulmones inflammans, dilacerans, eorumque bronchia vellicans, paregorico vel leniente remedio eſt compeſcenda. Si medicamenta prædicta, pro ſtolido more, conjungas, altero alterum deſtruente, nihil efficies. Si ſigillatim adverſus hæmaptyſin aſtringentia exhibeas, expectorandi conatus inhibebis; ſi expectorandi facultatem leniendo vel abſtergendo promovere moliaris, ſanguinis ſputum adauxeris; ſi denique narcotico tuſſim demulcere tantaveris, ſanguine in pulmonibus in grumos ſecedente, & in iiſdem pituita craſſa vel materia purulenta ſtagnante, ſuffocabitur patiens. Quam bellè hærent hic in luto medici confarreati? In hoc caſu ſimilibuſque omnibus, in quibus cauſæ contrariæ, & indicationes contrariæ à medicis prædicantur, plerumque obſervavi. 1. Quod morbus talis hujuſmodi ſciolis ſit incurabilis. 2. Quod inſignis ſit medicorum hallucinatio,

ubicunque nugentur, cauſas morbi in eodem corpore eſſe contrarias, contrariaſque indicationes; natura enim vix unquam uſque adeo aberrat, ut in eadem parte eodemque tempore (niſi à vi externa quicquam violenti inferatur) tales pariat contrarietates; abſurdum eſt & impoſſibile. Næ, cauſa una eademque eſt, licet æquivoca, remedium unum idemque, prout mihi multiplici conſtat experimento, quo patientes plures uno ſimplicique medicamento, ac quoad ejus ſciam, mihi ſoli noto, & hæmaptyſi & tuſſi purulenta liberavi, quamvis cauſæ, & indicationes hujus & illius adeo contrariæ videantur. Quantum obſtupeſcunt medici, ſollicitique ſunt in narium hæmorragia variolis correptis incidente, quum neque phlebotomiam in boreali climate, neque pharmaca aſtringentia in uſum ducere auſi ſint, ne variolarum eruptionem inhibeant? interim tamen medicamento ſupra citato non ſemel ſymptoma iſtud formidabile compeſcui.

CAP.

CAP. XXVII.

De Tabe, phthisi, tussi purulenta, & febre hectica.

1. HActenus de curando Expectatione; impræsentiarum divertendi ergo paucula adjicienda sunt de occidendo Expectatione, quod medicorum remediis grandia pollicentibus, vi tamen orbatis demulcendi & retendendi, minime vero curandi morbum, perficiendum est. Interea temporis interficitur æger ejusmodi irritis medicinis fruendo, earum vice, quæ illius curandi, vel saltem ejus ægritudini ingravescenti obnitendi facultate potiuntur. Ad hanc classem spectant pulmonum ulcerosa tussis, marcor, & seris hectica. Tussis vulgaria pulmonum ulceri ut plurimum præcetit, vel in phthisin, vel febrim sæpiuscule continuam, & nonnunquam interpolatam transmigrat. Prædicta tussis gregaria (pro communi

ni [illegible]uendi more) frigoris nomine insigniu[illegible], videlicet, quando quis tussi laborat, frigore correptus dicitur, quo etiam cutis poros occlusos vel constipatos esse accinitur, licet persæpe, si non perpetim, plenitudine humorum id genus constipatio (siqua adsit, de qua tamen multus ambigo, nam frigore ceu catarrho tentato cuivis, quam minimus flatus ceu venti sibilus horriditatem, & algorem, quinetiam nonnunquam rigorem incutit, quod signum est, poros cutis patulos & apertos esse) accidat; in hypocausto enim quivis ab anno annum in degat, vestibus secundum aerem indutus, & omnifariam à frigore capessendo (prout dicendi mos est) cavens, diversis in anno vicibus tussi, gravedini, odontalgiæ similive subjicietur. Præ cæteris omnibus hæc affectio maxime proprie *fermentatio* dicenda est, quæ blanda est *fervescentia* ceu fervor, qua in humores depurandos incumbunt spiritus, adeo ut fermentationis finis in corpore humano

mano ſit ſanitas humores depurando acquirenda, pari modi quo in liquoribus, cereviſia, vino, melle, cæteriſque fermentationis finis eſt eorum in corpus ſanum reductio digerendo, ſeparando, & expellendo particulas *heterogeneas* ab *homogeneis*; Atqui res eodem pacto in febribus putridis ſe neutiquam habet, quibus humores ebullitione violenta è directo in lethum, ceu totius hominis diſſolutionem tendunt. * Quocirca ejuſmodi tuſſis, raucedo, gravedo ſimiliave neceſſario variis in anno tempeſtatibus & vicibus unicuique accidunt; quippe vix poſſibile eſt, ut quiſpiam, licet diætæ ratione moderatiſſimus, tanta ciborum varietate veſcens, ſanguinem non generet heterogeneis particulis ſcatentem, qui ea de cauſa id genus catarrhis ceu fermentationibus depurandus eſt, ad inſtar vini variis anni temporibus fermentationi Subjecti. Attamen hic porro notandum tibi, 1. Quo quis rigi-

* *Inde tamen inferendum non eſt, omnes febres putridas eſſe lethales.*

diore

diore utatur ciborum moderamine, quoad quantitatem & qualitatem, in râriores fermentationes vel catarrhos per annum eſt illapſurus. 2. Quiſpiam multiplici eduliorum genere ubere ſe paſcitans, frequentioribus fermentationibus ceu frigoribus (prout vulgo dicitur) correptum iri ſe perſentiſcet. 3. Pravum præbentia ſuccum, digeſtuque difficilia alimenta multo crebrius in prædicta frigora, catarrhos, ceu fermentationes quemvis præcipitem dabunt. 4. A craſſis edulijs abſtinentia, nec non parca ſe alendi ratio, in media ſunt ceſſuræ, quibus fermentatio prædicta penſum obeat facilius, enixius, & velocius, quinetiam hominem mentis & corporis, ceu viſcerum cæterarumque partium operationibus longe vegetiorem reddat. 5. Quicunque ſe indies cibis potentibus ſaginat, ſalgamis ſaturat, genioque ſuo omnimode indulget, non tantum fermentationem ceu catarrhum frigore externo (prout falſo putatur) partum moleſtiorem reddit, & in longius tem-

pus

pus protrahit, at ſæpenumero nimia mora ceu duratione fermentationem in ebullitionem violentam tranſmutabit, quæ tunc febris eſt dicenda, haud raro putrida, vel maligna, quæ ſuapte natura & è directo mortem petit, ſicuti vinum per nimium tempus æſtuoſius fermentando & effervendo in acetum tranſit. 6. Pro communi more à frigore externo ſuſcitati catarrhi ceu fermentationes febribus præcedunt, vel in febres commutantur, ubicunque humores ſunt praviores, ita ut quicunque in laudatum vivendi regimen nimia intemperantia & ingluvie peccaverit, illius interſit actutum vereri, ne mox ſubſecutura ſit febris putrida, atque temporius abſtinentia regulari, vel venæ ſectione, & nonnunquam purgatione eam prævertere. Centenos tibi aſſero à me curatos fuiſſe catarrho ceu frigore externo læſos, interdum ſanguinem depromendo tantùm, aliquando venam tundendo & purgando, & haud raro purgando ſolum. Obiter monendus ſis, venæ ſectionem plenitudini ad

vaſa

vasa & ad vires subtrahendo, sarcinamque Spiritibus diminuendo, iisque amplius spatium cedendo, quo commodius munus exequi queant, catarrhum oppugnare, & purgationem eidem adversari humores vitiatos *mucaginosos* & *tartareos* in œsophagi glandulis, ventriculi plicis tunicisque, in mesenterij glandulis & circa viscera abdominis stabulantes deturbando, à quibus plerumque prædicti catarrhi primordium ducunt. 7. Quod catarrho ceu externo frigore gravato cuivis medicandi institutum, sudorem movendo, sit valde ridiculum, quandoquidem eo naturam fermentando i. e. digerendo, separando, & expellendo innitentem interturbas, quorum postremo, nimirum expulsioni, sudorifica remedia videntur quidem auxiliari, eamque stimulare, si minus gnava fuerit; atqui in humorum expulsionem incumbere diaphoreticis, priusquam digesti & separati sint, inane est. Itaque *Poscetum*, ceu *Zythogala* pipere, zingibere similive satur, item *caudela*

la ceu Compoſtum è cerviſia cocta cum ovo cochleari concuſſo ceu trito, additis butyro recenti & ſaccharo, utque aliud è *Zythogalactie*, vel *oinogalactie* ſacchari fæce perfuſo conſtans, vel *Zythogala* cum Theriaca Andr. aut Mithridatio cocta, pluraque conſimilia ſunt remedia caballina, quibus impendio magis ſuccenſebit fermentatio. Ejuſdem generis Oxymella & aceta * medicata ſaccharo in Syrupos concinnata ſunt omnia quoad catarrhum, atque horum qualitates per ſe potius conglutarent & incraſſarent, niſi fermentationem concitando humores craſſos attenuarent, & ſubinde ἄνω proiicerent, prout in aſthmate pituitam perdia fermentatione propellere comperimur. Hypotheſin de modo & ratione fermentationis, rerumque fermentantium inferius pro tenui ingenii mei filo paucis tradam. Annotata iſta facilia, licet quibuſque craſſa

* *Licet acetum apud oratores careat plurali numero, non itidem apud medicos.*

minerva hominibus ad ſenſum inclareſcant, toti tamen medicorum gregi cum omni ipſorum putata Doctrina, anatomia, & experientia adeo ſunt aliena, ut nominis medici me pudeat. Porro penſitans, quam miſere hallucinentur in haud paucis falſo prætentis detectis anatomicis, morborum theoria, & potiſſimum virtutibus, præparationibus, doſibus, & applicationibus remediorum cum dogmaticorum tum chymicorum, obſtupeſco. Impræſentiarum juxta canonem præmiſſo capite datum, vires virtuteſque medicinarum agitemus animo, quò inde judicium ſumamus, quid ſint tuſſis, ejuſque cauſa, atque quo in loco ejus ſedes. Nihil frequentiori eſt in uſu, atque ſaccharum *Cryſtallizatum*, ſyrupi glycyrrhizæ, hyſſopi, trochiſci becchici nigri, albi, *Lohoch* ſanum & expertum, præter plures alias compoſitiones, quarum omnium baſis, & præcipuum ingrediens eſt ſaccharum. Potiſſimi ab iſtis petendi effectus ſunt pulmonibus lævitate obducendi, nec non aſperam acremque pituitam, tuſſis

cauſam

causam suppositam, edulcandi. Nihil dubitandum, quin *saccharata* ista omnia lentore & lævigandi facultate donata sint ad temporis aliquantillum; enimvero universim ab utentibus istis propalatur, se illico levamen experiri, & in momentum unum vel alterum rarius tussire. Consequentiam inde eliciunt, quod tussis vulgaris sit asperitas, tracheæ arteriæ & bronchiis pulmonum, vellicatione acri & pungente pituitosorum humorum illata; atqui hoc neutiquam supponi potest è remediis *saccharatis*, quæœsophagum præterfluentia in ventriculum Labuntur, universum quidem lenientia ductum, & ventriculo lentorem obducentia, quo aliquantisper humorum acritas demulcetur; at paulo post tempore in ingentem aciditatem vertuntur, atque tunc tussis impensius ingravescit. Siquidem sibi statuant, à ventriculo in intestina, hinc in vasa lactea, venam subclaviam, cavam, ventriculum cordis dextrum, atque inde in arteriam pulmonalem & pulmones saccharum transire,

tam

tam longo cuniculoso & pernici itinere oportet, ut in acritudinem impendio sæviorem accreverit; rebus sic stantibus, tanto abest ut remedium fuerit, quin satius evaserit tussis immanioris, & morbi deterioris causa, forsitan hæmaptysis, pulmonum inflammationum, apostematum, vel ulcerum.

Tussis ista communis (non loquor de tussi sicca, aut tenui serosa & acri, vel *deuteropathetica*, quæ aliunde ortum petunt) causam ducit (prout ante dictum) à lympha crassescente, ceu pituita œsophagi glandulas transfodiente, fermentando tumescente, & partium consensu pulmones in tussiendum irritante. Adhæc aspera arteria quum pariter glandulis sit intertexta, hæ communitatis cum œsophagi glandulis medio, sæpe eodem tempore humores pituitosos fermentatione rarefactos in pulmonum bronchia expuunt, unde accidit, ut tussis impendio magis ferocitet. Remedium in hujusmodi tussim *euporiston* fit ex aqua hordei mundati, vel avenæ contritæ

contritæ cocta cum radicibus glycyrrhizæ & althææ, vel omissis radicibus althææ pro re nata, subinde affusa *anatica* mensura, vel tertia parte lactis vaccini recentis; coquantur simul ceu efferveſcant usque ad primam ebullitionem tantum. Hujus bibe à libra dimidia ad integram bis, semel, vel ter perdiem pro appetitu, vitando carnium & piscium omne genus, nec non potus generosiores.

Quoniam ergo præfata medicamina ista trita, vice tussim curandi, eam pariter prorogant ac graviorem reddunt, actutum hæmaptysi, & subinde tussi purulentæ introitum præbent, licet utraque ab aliis causis generari queat; ita ut non curare remediis frivolis, sit occidere *Expectatione*, in quantum patiens à tempore in tempus sanitatem recuperandam expectans, atque alia negligens media, quæ ei restituendæ sanitati idonea sunt, in tussim purulentam illabitur, & aliquanto post in febrim hecticam, & inde in marasmum, atque demum expectando

pectando moritur. Quid ſpei haurire poſſit æger è confarreatis medicis, ut à tuſſi purulenta convaleſcat, qui nunquam tuſſis trivialis abigendæ periti fuere, proxime indagandum eſt. Magno pro remedio venditant iſti lac aſininum, idemque omnibus indicationibus reſponſurum eſſe, ſtatuunt, *viz.* Pulmonum ulcus detergit, & febrim hecticam contemperat parte ſua ſeroſa, caſeoſa conſolidat, & butyroſa nutrit; Atque quum lac aſininum ſeroſius ſit ac quodcunque aliud lactis genus, quod hic potiſſimum deſideratur ulceris detergendi gratia, ea de re & vaccino & caprino anteponitur, poſterius quod aſinino proxime ſuccedere ajunt. Verùm dato, quod ulcus in inguine vel ore ſordidum centies per diem lacte aſinino abluatur, nunquid credis id genus ulcus, quamvis ei immediata applicatione appropinquare poſſis, non ſolum quam minime abſterſum, ſed in impendio deterius verſum eſſe ejuſmodi humectante remedio? quo caſu Hippocrates, omneſque

neſque inde chirurgi, atque experientia univerſalis dictitant, ulcera curanda eſſe medicamentis ſiccantibus, prout & adagium ſonat, *ſanum eſt ſicco proximum.* Atque conceſſo, quod aſinæ lac ſiccandi vi fuerit præditum, quid de eo futurum eſt, ubi tot ſubiverit mutationes, priuſquam ad pulmones appellat. At rem factam & ſæpius præſtatam eſſe, audacter aſſerunt; quod prorſus nego, quum nunquam & nuſquam gentium, ſive vir, ſive fœmina, ſive infans è pulmonis ulcere ſanus factus ſit ullo lactis genere, niſi columbarum lacte, atque illud ſolum circa aprilis kalendas venale proſtat.

Syrupus hederæ terreſtris præ omnibus aliis à medicis comprobatus eſt, fidem temerariam habentibus mendaci *alchymiſtæ* Quercetano, eo ſe plurima pulmonum ulcera deſperata curaviſſe affirmanti; utique certum eſt, quod ſaccharum (quo conſtat) acrimonia (in quam vertitur, quam primum

in

in ventriculo aliquantisper subsistiterit, ac inde pulmones versus circuitionepro fluens, pejores asciverit qualitates) tussim ingeminat. Quod ad hederam terrestrem spectat, non tantum facultatis detergentis illiús fasciculoinsidet, quantum myrrhæ drachmæ dimidiæ, minusque virtutis sinu fovet Syrupi quadrans, atque succi recentis cochleare unicum. Neque verisimile est, quod uncia unica per diem sumpta Pulmonum ulceris abstergendi sit capax, quum libra istius, modò tali fuerit imbuta vi, vix par sit. Porro hominum millia hoc syrupo, rosarum rubrarum saccharo & *conserva*, pariter ac lacte asinino usi fuere, atque ne unicus quidem illis curatus fuit, vel ex ulcere convaluit; at obierunt omnes. Hoc autem constat; nonnulli ea sibi adhibuere, atque è chronica tussi recuperati sunt, quam gloriatione & vaniloquentia medicus mendax ulceris pulmonum nomine donat, licet revera iidem fuerint, qui abstinentiæ & quieti, vel aeris mutationi sanitatem redintegratam

tam deberent. Pares vires dictum, & ſaccharo, & *conſervæ* roſarum competere, quanquam Avicenna, Meſuæus, Foreſtus, Valleriola, & Montanus doloſè promulgant, ſe iſtis æque multa pulmonum ulcera conſolidaſſe, ac Trallianus refert, ſe eadem perfeciſſe lapide hæmatidite, aſtringentium validiſſimo, remedio ad quemcunque phthiſicum occidendum paratiore, eum ſuffocando tuſſis ſuppreſſione. Num vero conſonum eſt, decies mille ægris, levi tantum & recenti pulmonum ulcere labefactatis, occumbentibus, licet ſecundum formam prædicta omnia medicamenta ſibi ingeſſerint, ſex ſeptemve (quos multos iſti appellant) inveterato & corruptiſſimo ulcere tentatos, ab iſtis medicis ſanitati reſtitutos eſſe, ope remediorum tam trivialium? hoc ſane miraculum, vel mendacium appellari oportuit. Altroverſum reperiuntur Braſſus & Fracaſtorius, perhibentes ſe plures curaſſe phthiſes longo decocti Guaiaci uſu: Hoc verò præ cæteris aliis eſt ſtulti

loquentia, & veritati absonum; atqui tempore eodem curationes falsas enarrant, quo fallaci innituntur theoriæ statuenti, quod pulmonum ulcus ab acri lympha, sive tenui pituita à cerebro distillante generetur, id est, quod Rheuma salsum os sphænoides perterebrare, & dein præcipitanter delabi per laringem & & asperam arteriam in pulmones debeat. Quam egregie istud cum Febri Hectica conveniat, liquebit ex iis, qui ejus usu obierunt.

Cardanus medicus Astrologicus, & æruscator id temporis satis notus, tantam obtinet penes medicos etiam nomine præclaros putatos authoritatem, ut ab his citetur, de curando pulmonum ulcera summe deplorata, cancrorum fluviatilium decoctione, quæ ausim dicere, ne minima vi detergendi, vel sanandi leviſſimum pernionem vel scabiem imbuta est. Neque fidem habere possum, quod *Foreſtus* fratrem Phthisicum curaverit pulvere *Hali*, è quibusdam seminum frigidorum majorum, seminibus papaveris albi, succo

co glycyrrizæ, gummi tragacantha, &c. confecto; proculdubio ſuperſtruxerat hujuſmodi praxin theoriæ præfatæ fallaci, exhibenti ulcera pulmonum oriri è deſtillatione pituitæ acris tenuis & ſalſæ à cerebro, quam iſto pulvere incraſſandam & cohibendam eſſe autumabat, cujus nempe pulveris, ſi quis ſelibram indies ſumſerit, tantum abeſt, ut eo ulcus mundetur, quin multo ſordidius reddatur; quid enim abſtergens ſeminibus iſtis rancidis, vel emplaſticis gummi inſidet?

Omnibus iſtis ſepoſitis, Chymici clangunt prætextu ficto, ſe pulmonariorum ulcera ſpiritu ſulphuris vel vitrioli deterſiſſe, qui medicamentum eſt omnibus ante dictis contrarium, & magis idoneum ad excitanda quam curanda ulcera. Summatim ſunt omnia falſa prætenta gurdis narranda, & inanes circumforaneorum oſtentationes.

Quod pulmonum ulcus ſanandi capax ſit, oportet ut fuerit medicina, quæ particulas corroſivo-acidas cauſæ

proegumenæ obtundendi, pariter ac abſtergendi ulcus prævalidam vim obtineat, pro proportione durabilem, qua ad pulmones appellat. Inſuper curandi difficultatem adaugent pulmonum in expirando & inſpirando motus naturalis, & violentus ſæviter tuſſiendo; idcirco crebrius paregoricis ſunt demulcendi pulmones. Atqui in materia univerſa medica nihil, quod aliquatenus prædictis dotibus permunitum ſit, reperiendum eſt, præterquam unicum vile quiddam, quo aliquoties curatio ex animi ſententia ſucceſſit, non ſolum in hoc morbo, ſed longe facilius in ullo alio totius corporis ulcere, tam interno quam externo. Haud ita pridem fœminæ cuidam paganæ prope ædes meas rurales commoranti, poſt fœtus enixum obſtetrice incaſſum ſecundinas uteri parietibus agnatas divellere tentante, *obſtetricans* Chirurgus accerſitus eas in particulas dilaceravit, non ſine dolore immani, & ingenti inflammatione, relicta tamen ſecundinarum portione utero agglutina-

ta,

ta, unde citatim insecuta sunt oris halitus fœtidissimus, febris putrida, excretiones una cum lochiis purulentæ; & quandoque pus pessimi coloris & fœtoris: exhibito præfato medicamento, omnia symptomata paulatim & ad sensum sunt diminuta, atque hæc ipsa mulier præter omnium spem, ac etiam meam omnino convaluit, secundinarum portione utero adhærente in pus versa, & ulcere abstersa ac consolidato.

Huic consimilis successus medicamento eidem a Londinensi quodam nomine Magistro *Thomade* officio fungente in ædibus oriente-indicis sumto, contigit. Tentabatur hic externo ulcere acacochymia oriundo, profundo, amplo, & sordido, in lumborum regione, paulo infra vel juxta renes oblique decurrente, modo sinuoso ceu cuniculoso, & transversim omnes musculos transfodiente musculum psoam usque, qua de causa nec tergum erigere, nec femur istius lateris introrsum movere ceu adducere quibat, & partium consensu dolorem ingentem in inguine pa-

tiebatur. Febris Hectica, pervigilium, extrema macies, & dejecta appetentia morbi erant ſymptomata. Duo Chirurgi primarii, & tertius patientis ordinarius ulcere cauterio potentiali, & quandoque inciſione quoad poſſibile dilatato, quum profundius trans omnes muſculos ad fundum uſque, quò puri exitus pateat, inciſione penetrare neutiquam auſi fuerint, patienti valedixerunt omni ſpe orbato, & mihi ſoli, & Chirurgo ordinario mandata mea quoad externa præſtaturo, curationem commiſerunt. Paucis diebus medicamento ſupradicto tantùm profecit, ut diſparuerint omnia ſumptomata, & non longo poſt tempore integram ſanitatem adeptus fuerit. Etiamnum quinque vel ſex annos ſanus athletice vivit. Abſit jactantia dictis, quum hæc in hunc tantùm finem enarrentur, ut medicorum animos incitent ad incumbendum in remedia detegenda efficaciora, quam ulla apud ſeplaſiarios proſtant; idcirco pluribus ejuſmodi recenſendis locus hic non vacat, præterquam

terquam obſervando, à Medicis patientes deſerendos non eſſe, etiamſi ab ipſis ac adſtantibus omnibus pro deploratis habeantur.

De Febris Hecticæ curandæ difficultate penes medicos vulgata eſt querimonia; quaſi ulceris pulmonum non fuerit ſymptoma, ſed morbus per ſe formidabilis, & incurabilis. Affirmant autem, quod ſit ſolidarum partium corporis febris, quum cæteræ febres humorum, vel ſpirituum fuerint propriæ; at falluntur, febris enim hectica, de qua hoc in loco diſſeritur, ulceris ſymptoma eſt, & quam id ne momentum durabilior. Vocatur febris hectica ceu *habitualis*, i. e. diuturna, vel diu permanens, prout febri acutæ ceu veloci opponitur; quia pulmonum ulcus, è quo ortum ducit, eſt morbus diu permanens; adeo ut, ſi ulcus talibus medicamentis cures, qualibus febris non fiat deterior, & illud & hæc ſimul recedant, quandoquidem febris generatur à particulis purulentis ex ulcere in ſanguinem venoſum re-

pulsis; hinc assumo, quod febris hectica non minus fluidarum sanguinis & spirituum sit affectio, quam solidarum partium, atque quod febris acuta æque sit partium solidarum affectus, ac fluidarum, adeo ut distinctio ista sit tantum ratione temporis & durationis, & nequaquam partium.

CAP. XXVIII.

De fermentatione, & Ebullitione, earumque differentia; itemque de Febribus paucula.

DE fermentatione discursum formare expansum prorsus ab instituto abest, quid autem de ea concipiam, qualisque mihi videatur, quo more & tempore accidat, & perficiatur, nec non quibus ab ebullitione differat, paucis expediam. Primò pro hypothesi

hypothesi statuendum, corpora omnia physica, tam solida quam fluida, consistere è triplici particularum genere, sc. è duabus particulis activis sibi invicem omnino contrariis, & se invicem oppugnantibus, atque è tertio particularum genere, quæ prioribus duabus prædictis sunt neutrales, passivæ, & indifferentes, i. e. cum earum utrisque convenientes; suntque hæ particulæ præterea tenaces, & glutinosæ, ut sui interpositione inter particulas activas prædictas, has non solum ab hostilitate mutua detineant, sed easdem suo glutinamento ceu *glutinositate*, & tenacitate arcte compingant, & consolident in corpus physicum: notantum insuper, passivas has particulas in corporibus solidis esse duriores tenacioresque, in fluidis autem molliores & laxiores. Secundò Concipiendum, in corporibus omnibus physicis, tam solidis quam fluidis, esse particulas alias *circumferentiales*, è minutioribus particulis tribus prædictis consistentes, at multo mi-

nus compactis & magis laxis ; & alias centrales è particulis minutioribus prædictis constantes, sed magis compactis & densis. *Circumferentiales* particulæ sunt dissolutioni & interitui aliquanto, & quandoque longo tempore præ centralibus subjectæ, uti patet in solidis, in ferro & ære, quarum particulæ circumferentiales ferrugini & ærugini subjiciuntur; in fluidis, in mucore syruporum, aliorumque. Tertiò Supponendum mihi, quod in omnibus fermentationibus, & ebullitionibus itidem duæ sint particularum activarum species, quarum utraque alteri est omnimode contraria, & alteram oppugnat, expellit, & destruit, quandocunque & quotiescunque altera alteri immediate occurrit, absque aliis particulis interpositis, quæ utrique sunt indifferentes, vel neutrales, & omnino passivæ, adeo ut à primo congressu altera alteram aggrediatur, pugnaque eo usque protrahatur, quo altera alteram destruxerit, vel saltem, earum una perierit.

Hocce

Hocce delucide comperimur in ſpiritu vitrioli & oleo *tartari*, itidemque in calce viva & aqua, cujus in poros hæc ſe ingerens, in particulas igneas mox irruit in illis occluſas, eaſque expulſat, quod etiam in multis aliis eſt obſervare. Atqui ubicunque accidit, ut particulæ neutrales intercedant inter iſtas particulas contrarias, vel haud omnino fit pugna ſenſilis, ſi particulæ iſtæ neutrales firmiter & arcte illis particulis contrariis ſint intertextæ; at ubi iſtæ particulæ neutrales ſunt molles, laxæ, & extentu faciles, tunc pugna levis ſuſcitatur. In fermentatione (prout mihi videtur) ſunt particulæ contrariæ pariter ac neutrales, quas poſteriores oportet eſſe glutinoſas, tenaces, & molles. Itaque in fermentatione particulas contrarias ceu hoſtiles ex una parte concipio eſſe acidas, & ex altera adverſa eſſe igneas ceu *alcalias*, ceu ſpiritus vividos; neutrales particulæ ſunt quales ſupradictæ. Singulæ illarum particularum ſpecies liquido apparent

in

in cereviſiæ flore ceu fermento, in quo particulæ quædam ſunt acidæ, aliæ ſunt vegetæ *alcaliæ* ceu ignei ſpiritus, aliæ ſunt neutrales tenaces & viſcoſæ; Eædem in vino tortivo fermenteſcente obſervantur: nam donec illa * vel hoc *fermentatione* laborat, ſpiritus ceu particulæ igneæ volatiles cum particulis acidis, quæ permiſtæ ſunt in & cum particulis paſſivis neutralibus & *mucilaginoſis* (quæ poſtremæ id temporis ſolutæ & relaxæ ſunt) acriter congrediuntur, atque prioribus, vel poſterioribus, vel utriſque domitis aut ſuccumbentibus, particulæ neutrales prædictæ, ſi igneæ vincantur, ſubſident & fundum petunt; at ſi acidæ fractæ fuerint, tunc particulæ neutrales ceu viſcoſæ una cum hiſce acidis victis ab igneis ſpiritibus in ſuperficiem ſummam tolluntur, quæ inſimul flos cereviſiæ, vel cujuſcunque liquoris miſti, ceu naturalis ceu artificialis, tunc dicendæ ſunt. Quan-

* Sc. cereviſiæ.

tum

tum ad passivas particulas, sive sint subsidentes, sive ascendentes, post peractam in vino fermentationem, adeo sunt tenaces & glutinosæ, ut arctissime & tenacissime dolij parietibus agnascantur, quæ vix absque mallei opera inde avellantur.

Ubi prædictæ particulæ activæ arcte à validioribus viscosi, intermediis neutralibus passivis,& utrisq; activis particulis indifferentibus ceu utrisq; convenientibus connectantur, ibi fermentatio nulla oriri potest, donec temporis progressu, & insensili actione ac reactione activarum particularum, glutinosæ intermediæ particulæ laxentur, ita ut particulæ activæ prædictæ se invicem attingere queant, tunc pugna sensilis exoritur, quæ fermentatio est. Concipio prout ex ante dictum, quod in omnibus compositis ceu mistis fluidis corporibus sunt quædam laxæ, & solutiores particulæ *fermentativæ*, quas mihi liceat appellare particulas Circumferentiales; pariter sunt & particulæ Centrales, ex igneis & acidis *Minimis* consistentes,

quæ

quæ magis arcte & firmiter conglutinatæ sunt à particulis neutris intermediis, & multo magis viscosis & tenacibus, adeo ut hæ particulæ centrales nunquam sint fermentationi subjectæ; essentia enim & durabilitas corporis cujuscunque mixti ab iis dependet. Attamen ubi à graviore ceu impetuosiore causa particulis *centralibus* conglutinantibus intermediis tanta inferatur vis, ut relaxentur, actutum particulæ *centrales* activæ, quæ numero & vi circumferentiales longe excedunt, in acerrimam pugnam exiliunt, quæ in humoribus corporis humani neutiquam *fermentatio*, sed *ebullitio* effrænata & impetuosa, per se recta ad corruptionem ceu totius mixti solutionem (ni temporius occurratur) tendens, & febris est dicenda.

Quod prædicta terminis Philosophicis peripateticis vel subtilioribus Cartesianis non depromserim ratio est, quia explicatio ista nuda & simplex mihi promtius inservit, in difficultatibus circa febres tam interpolatas quam conti-

continuas, earumque ſymptomata, & ſpecies ſolvendis; ſed præcipue in dirigenda praxi. Porro haud magis curo, an præfata hypotheſis ſit vera, vel falſa, modo ſit apparens, & proximè dictorum fini reſpondeat (licet ipſe multa argumenta nihili tamen pendenda contra hypotheſin objicere valeam) ac Copernicani, an Sol ſubſiſtat, & globus ter-aqueus moveatur, an ter-aqueus globus ſubſiſtat, & Sol moveatur, modò priori ſuppoſito temporis, & cæterorum aſtrorum motus commodius, & accuratius computatio ab illis erui queat.

Ut de hypotheſeos uſu exemplum tradam, in operationis Corticis Chinchinæ modo illuſtrabo. Hic fermentationes & leviores ebullitiones in febribus intermittentibus ſupprimit, particulas mucoſas, & *Tartareas* ceu viſcoſas intermedias humorum in vaſis meſeraicis, & circa viſcera amaritudine ſua conſtringente arcte compingit, quo confeſtim part iculæactivæ cuminterpoſitis neutralibus denuo eundem in ſitum reducuntur,

reducuntur, ac in ante fermentationem fuerant, & consequenter eodem momento fere patiens ad pristinam valetudinem fit redux; atque in eadem persistit, dum particulæ neutrales denuo expandantur ceu relaxentur, quod nonnunquam post mensem vel sex hebdomadas contingit, & interdum citius, prout Chinchinæ vis fuerit evanida, vel pro bono vel pravo regimine sex rerum non naturalium, & aliquando omnino sine reditu delitet, pro ratione melioris vel pravioris aeris ceu tempestatis, & spirituum vigoris tempore humores istos pravos subigentium, dissipantium, & deturbantium.

Taliter operandi modo cortici peruviano à me ascripto testimonium & argumentum demonstrativum afferunt succedanea quædam, sc. *Radix Gentiana* & *cortex quernus*, simul debita proportione in pulverem triti, & justis dosi, tempore, ac continuatione exhibiti, vel illorum Decoctum, vel *fraxini*, vel *oxyacanthæ* cortices seorsim, aut simul cum radicibus bistortæ

aut

aut pentaphylli decocti, idem fere præstant ac *Chinchina*, licet non tam certo, nec tam cito, nec in quibusdam casibus tam tuto; in nonnullis verò multo tutius, quamvis tardius; attamen hoc verissime asserо, quod fœminam curaverim (sale quodam virtutibus prædictis dotato, & absque ulla recidiva) quartana duplici a longo tempore, sc. à duobus vel tribus annis laborantem, quæ per integrum annum, per vices tamen, ad quatuor & sex hebdomadas nonnunquam, pro vice *Chinchinæ* corticis ingentes doses assumserat, non omissis *deobstruentibus*, purgantibus, vomitoriis, & phlebotomiis, at omnibus incassum.

Hypothesis præfata apprimè mihi inservit in Chinchinæ abusu in febres continuas, & malignas, ceu ebullitiones impetuosas, itemque malignas dignoscendo *Lower*, *Short*, aliique ejusdem farinæ medici expeditissimam *Chinchinæ* virtutem febrium interpolatarum paroxysmos supprimendi animadvertentes, & hujus exhibitionem

in

in febres continuas, itemque eas, quæ malignæ dicuntur, transferendam esse rati fuerunt, corticem istum autumantes vires easdem exerere debere in æque prompte febres continuas, & etiam malignas abigendo, ac interpolatas, in quem finem centenis aliquot patientum eum ignoranter & audacter administrarunt, de quibus febri vere continua torsis vix ullus evasit sospes, sed denati sunt omnes præter eos pauciſſimos, qui aut validis constabant viribus, aut ebullitioni leviori, vel fermentationi diutius protractæ (prout mox explicabitur) febris continuæ, vel quasi continuæ, licet vere interpolatæ, ortum imputabant, cujusmodi audaciæ, temeritatis & cum corio humano lusus eorum uterque pœnas luit, sumendo *Chinchinam* in febri continua ab helluatione & temulentia perenni orta, quæ nono vel undecimo die aut circiter, utrumque è medio sustulit.

Quod sedes morbi in febri intermittente, & continua, non sit una eademque

demq; in utraque, ſed diverſa, vix ullus inficias ibit, id quod typi, ſymptomata utriuſq;, & ſigna tam pathognomonica morbi quam ſynedreuonta, ſint longe varia. Quocirca ſupponendum tantum. 1. Febris intermittentis ſedem cauſamque eſſe in meſenterii glandulis & pancreate, vaſiſque inde decurrentibus ad viſcera infimæ regionis verſus, & hinc per univerſum corpus, (licet fermentatio primò in ipſis glandulis & pancreate, & proxime in vaſis lymphaticis circa viſcera, & imprimis ventriculum ordiatur) itemque hanc ſæpius in primordio in particulis latere *circumferentialibus*, & poſtmodum in ipſis centralibus Succorum lymphaticorum, aliorumque in locis prædictis ſtabulantium; inde liquet ratio, quare in febris intermittentis exorſu crebro fermentatio accidat, quæ poſt diem unum, quandoque tres, quatuor, vel quinque dies in ebullitionem ceu febrim demùm tranſit intermittentem. Tali in caſu neutiquam inficior, *Chinchinam* ſuppreſſiſſe ſæpius fermentationem, quæ cum tres

vel

vel quatuor dies perstiterit, medicos in allucinationem traduxerit opinandi, eam fuisse febrim continuam putridam, secuti superius animadversum fuit. 2. Febrim intermittentem esse ebullitionem particularum centralium Succorum Lymphaticorum, & quandoque lacteorum; atqui febrim continuam esse ebullitionem centralium particularum sanguinis. 3. Succos lymphaticos appellentes quoquo-versum ad membranas universum corpus investientes, pungente acritate eas vellicare, ac pro acrimoniæ gradu frigus, horrorem, vel rigorem excitare; insuper in ventriculi membranas impingentes acritate prædicta, ventriculi languorem, nauseam, & vomitus movere; vesicæ membranis allidentes stranguriam, & quandoque dysuriam inferre; & intestinorum membranas concutientes, tormina & alvi fluxus parere. 4. Prænumerata symptomata initiantia non diutius permanere, ac ebullientes Succi lymphatici cum sanguine in vasis majoribus permisti fuerint,

rint, cujus particulæ circumferentiales, ſolutiores ceu laxæ, & ſeroſæ ab ebullientibus Succis lymphaticis in ingentem fervorem adiguntur, adeo ut ex utriſque commiſtis tunc ſummus iſte ardor oriatur, qui à tertiana laborantibus perſentitur; nihiloſecius pro gradu ebullitionis ardor multo mitior exiſtit in quartana. 5. Sedimentum rufum in *tertianariorum* urinis poſt paroxyſmum peractum eſſe particulas viſcoſas ſecedentes cum emortuis activis. 6. Chinchinam exhibitam vires potiſſimas cominus exerere ſc. in ventriculum, inteſtina tenuia, pancreas, & proxime adjacentes meſenterii glandulas, earumque omnium lymphatica vaſcula haud longe diſſita, quorum omnium Succorum in ipſis contentorum particulas mucoſas relaxataſque arcte compingit, cogit & condenſat, qua ratione ex templo particulæ activæ compeſcuntur, & conſequela ebullitio inhibetur. Itaque ſi *Chinchina* auctiore doſi ingeratur prima vice, & contenta in vaſis & viis inteſtinorum

norum proximis adeo validiſſime condenſet, *cæmentet*, & obthuret, neceſſario *Chinchinæ* doſibus ſubſequentibus introitus, ceu virtutum ejus admiſſio penitus præcluditur, modo haud diſpari, ac ſi quis granorum quorumvis, *viz.* hordei, avenæ, ſimiliumve cumulum in anguſti oris vas trajicere aveat; ſi acervatim grana prædicta in vas profundantur, illico os obthurant, atque ſequentia grana fuſa ob introitum oris occluſum citra vas collabuntur; at ſi paulatim & tenui quaſi filo transfundantur, totus acervus in vas facile admittitur.

Ex hoc ſexto ſupponendo ſequentia palam fiunt. 1. Si cauſa Febris intermittentis in vaſorum meſeraicorum parte, quæ inteſtinis quam proxime adjacet, ſedem obtineat (quod in Febri intermittente leviori ſe res ita habeat, nullus ambigo) *Chinchinæ* doſis una vel altera larga ebullitionem ceu Febrim actutum inhibet; atqui ſi in vaſorum prædictorum partibus diſſitis cauſa Febris intermittentis lateat, tum

ſane

ſanè à priori *Chinchinæ* doſi ampla ſequentibus doſibus via introituque præruptis (uti ſupra dictum) ipſa *Chinchina* pariter cum excrementis alvinis proturbatur, alvique fluxus movetur, nihilominus Febris perſiſtit intermittens, quinimo ob vias conſtipatas ingruit, & haud raro in continuam lethalemque tranſit. Quocirca medici complures hactenus *Chinchinæ* dotes varias, & omnino contrarias demirati ſunt, ſtupore obſervantes, eam nonnullis alvum movere, pluribus conſtipare; ſæpius autem ebullitionem Febrimve intermittentem cohibere, nonnunquam illam ſæviorem reddere, nedum cauſam hujus attingere. Quantum ad ejus eccoproticam facultatem, perpetim animadverti primam ejus doſin, licet larga fuerit, nullis fere, niſi maxime diſpoſitis alvum movere (natura ſua enim & per ſe alvum cohibet, & conſtipat) at ſecunda, vel tertia, cæteriſque doſibus non rato alvum proritat, cui ut occurratur, medici *Chinchinæ* granum unum

vel

vel alterum *Laudani opiati* adjicere aſſoluêre, iſtiuſmodi effectus cauſam ignorantes, quæ (prout ſuperius veriſimiliter ſaltem & è ſuppoſito explicui) *Chinchinæ* doſibus largioribus eſt aſcribenda. Quandocunque doſi parciori exhibuere, ut plurimum alvum moratur. Ubi vero percepêre, paroxyſmos ab aſſumpta *Chinchina* ingraveſcere, ſemper ſuffragati ſunt patientis viſcera obſtructionibus laborare, ac iſta de ratione mox ad decoctum amarum purgans confugiunt, deinceps ad decoctum amarum alterans, paulo poſt denuo ad *Chinchinam*, qua ne adhuc quidem opus ſperatum abſolvente, de novo ad decocta amara recurrerunt; ſicque antrorſum & retrorſum memini, tres vel quatuor è primariis medicos equitem quendam & civitatis L. Scabinum præteritis abhinc ſex vel ſeptem annis putà Sr. *P. W.* & nonnullos alios ſimplici levioriqve tertiana laborantes prædicto more tractaviſſe, quibus tamen eadem *Chinchina* recta ratione & debita methodo in uſum

uſum ducta aliquatenus medelam opemque faciliime afferre potuerant; at vel ignorantia craſſa, vel Lucri aureorumve nummorum boulimo laborabant ipſi medici, prout ejuſdem Col. plures, nam eques prædictus crumena auro gravi munitus erat.

2. Quandoquidem in Febri intermittente, cujus cauſa à primarum viarum vaſorumque introitu longè & procul reſidet, *Chinchina* ſæpius minime morbo ſubvenit, quinimo obeſt, ob rationem ante citatam, ſcilicet vaſorum humorumque conſtipationem & condenſationem; næ in Febribus continuis putridis, quæ cauſam, & ſedem multo longiùs à primis viis diſtantes habent, *Chinchina* grave damnum, imo mortem ipſam adducit; primis enim viis conſtipatis, & humoribns compactis, nullum medicamentum Febribus continuis obſiſtens ad vaſa majora penetrandi capax eſt: porro hoc in caſu, modo natura valida ſatis fuerit ad humores febriles digerendos, & ſeparandos, ob vias præcluſas eorum

in ſedimentum album expulſionem nequaquam præſtare poteſt, quod autem in cruoris maſſam recedens febrim lethalem, ultra ſuppetias cujuſvis medicamenti, reddit. Id ipſum ſane veriſſimum comperieris, ubicunque patienti continuo febricitanti *Chinchinæ* copia exhibita fuerit, nunquam Urina ipſius ſedimento albo ſaturabitur, vel ſudore copioſo ille diffluet, adeo ut omnes evacuationes ſupprimat *Chinchina* per ſe; ſed non *per accidens.*

E præmiſſis mihi conſtat, acida medicamenta omnia per ſe febres continuas in vehementiores adigere, id quod particularum activarum partem unam viz. particulas acidas adaugent, & intendunt; altrinſecus ejuſmodi febres *alcali-volatilia*, ceu ignea medicamenta particulis ſanguinis igneis ſe adjungendo, non minus laceſſunt. Qui haud ita pridem Julapiis *vitriolatis*, & acidoſulphuratis febrim continuam oppugnare ſtuduerunt, plures ea flagrantes obierunt; pauciores vero, quorum vires validæ, florida ætas, aut vires &

acidis

acidis præcitatis, & febri obnitendo pares fuere, tam medicamentorum, quam flagrantis morbi discrimine liberati, sospites evasere. Itaque si neque refrigerentia, siccantia, humectantia, nec acida, *alcalia*, diaphoretica, diuretica, cathartica, nec *Chinchina*, neque simpliciter phlebotomia (nam omnes fere suffragantur medici, in febri continua maligna, vel pestilentiali hanc lethiferam esse) febribus continuis putridis correptis prosint, solummodo quædam neutra peculiaria virtutibus prædita, quibus evidenter & ad sensum hic morbus debellari queat, in usum aducenda restant.

Caupo præcipuus oppidi cujusdam *mercatorii* (*Uxbr.*) per aliquot dies tertiana simplici, rudi satis, torsus, in continuam putridam labitur, duobus isthinc diebus eum adorientibus pluritide vera, sputo sanguineo stipata, & peripneumonia, quæ ut plurimum insimul incidunt. Nono die sputorum suppressio, paraphrenitis, virium summa fractio, aliaque superveniunt; undecimo omnia

pejora, & reſpiratio difficillima, fere cum moribundorum ſtertore, adſunt. Præmiſſis incaſſum Vulgariis remediis præteritis diebus, decimo ei ter exhibendum curo tantillum medicamenti cujuſdam neutrius; undecimo febris abacta fuit, ſputa ſuccedunt purulenta, & mente conſtare cepit, & paucis poſtmodum diebus prorſus convaluit.

CAP.

CAP. XXIX.

De Succo Lymphatico, & glanduloſo, item de ratione paroxyſmorum febrium intermittentium.

Liceat mihi ſaltem partium diviſionem, utut inuſitatam trivialemque, ſed tricis ambagibuſque philoſophicis expertem, proponere, quum intentioni meæ explicandæ neceſſario inſerviat; ſcilicet, partes corporis vel ſunt craſſæ & duræ, veluti oſſa, cartilagines, ligamenta, &c. vel molles, teneræ, tenues, & texturæ admodum delicatæ, ſicuti glandulæ, glanduloſæque partes, putà cerebri, ſpinæque medulla, teſtes, &c. vel ſunt natura intermedia, ſcil. neque craſſæ & duræ, neque molles & tenues; hujus generis ſunt viſcerum parenchymata, muſculorum carnes, cutis, membranæ, &c. Inter has tamen intermediæ naturæ partes, aliæ tenuibus, aliæ craſſis partibus conſtitutione, textura, & craſi

magis appropinquant, & harum vel illarum naturæ magis participes sunt; Videlicet *pia mater*, nervi, vasa lymphatica, lactea, aliæque partes mollium naturæ propius quam durarum accedunt.

2. Uti partibus nutriendis, ita & succis humoribusque nutrientibus seu nutritiis divisio eadem competit. sc. pars sanguinis alia est tenuis, veluti serum; alia est crassa, & quasi fæculenta; alia consistentia intermedia.

His præmissis, sanguinis serum mihi videtur destinari glandulis, glandulosisque, nec non cæteris mollibus partibus nutriendis, sequentem ob rationem, sc. Serum subtilissimis, mollissimis, & tenacibus sanguinis particulis fatur est; crassiores enim præ *fibrositate* & crassitie in eo vix sunt solutiles, uti patet è sero sanguinis phlebotomia exhausti in cochleari ad *consistentiam* evaporato, cujus residuum ceu *residentia* omnibus qualitatibus sensibilibus, & imprimis candore, mollitie, lævitate, & tenacitate singulariter disposi-

ta

ta apparet, cui ab exiliſſimis, molliſſimis & læviſſimis glandularum, item glanduloſarum & neurinarum partium, & nervorum, & nervoſarum fibrillarum illis ductibus, & poris aditus ingreſſuſque præbeantur, & quæ porro partibus præcitatis in nutrimentum omni ratione ſymmetrum cedat. Quantum ad ſanguinis particulas craſſiores, ſunt hæ aſperæ nimis, figuriſque acutis præditæ, tranſverſim diſpoſitæ, taliter ut in iſtiuſmodi læviſſimos ſubtiliſſimoſque ductus illabi vel admitti nequeant.

Succi lymphatici, ubi quod in eo ſibi congener glandulæ, glanduloſæ, neurinæque partes aſſumſerint, reſiduum per inſenſiles exiliſſimos poros partium proximè citatarum percolatum, & pari pacto in lympham verſum, amandatur per vaſa lymphatica, in exiliſſimis ductibus, poris, ceu meatibus (ad majorem ejus portionem) deponendum, quibus cum ſanguine ex arteriarum earumq; fibrarum terminationibus dilapſo, miſcendum eſt, ut eum dilu-

tum faciliorem in venas regressum præbeat ad circulandum ad cor versus. Adeo ut succus lymphaticus à lympha mihi differat eo, quod ille sit sanguinis flore ceu cremore onustus, & è consequentia hac crassior, & multo minus pellucida; lympha enim dicitur quasi lucida aqua. 2. Vasa lymphatica ortum ducunt à glandulis, perinde ac venæ ab hepate, & arteriæ à corde. 3. Quod succus *cerebrosus* & succus neurinus sint tantum species succi lymphatici, sub cujus genere comprehendo etiam tanquam species, succum pancreaticum, succum glanduloſum, ceu succum cæterarum glandularum, item omnium partium mollium, omnia quæ prædicta, & quædam sequentia, sive à lectore pro ambiguis fuerint habita, sive a me pro verisimilibus verisve, hic & alibi tantum pro phænomenis & supponendis assumantur, quandoquidem nec temporis anguſtia, nec instituti mei brevitas istorum impræsentiarum probandorum ansam mihi suggerit.

Hisce

Hiſce prælibatis & tantummodo ſuppoſitis; ſtatuo, ſuccum glanduloſum circa ventriculum, pancreas, vel meſenterium in ebullitionem adactum, cauſam eſſe febrium intermittentium, videlicet, quandocunque vitietur, vel ejus craſis aut ſatius mixtio centralis seu conſtitutio relaxetur chyloſi depravata, vel paludoſo-ſalſo aere ab extra in ſuccos corporis penetrante, vel ſtagnando (ſc. ſucco) in glandulis earumque vaſis, aliove modo, quo particulæ activæ ſeſe mutuo attingere poſſint, prout ſuperius delineavi. 2. Quò propius materia febrilis præfata ventriculo, vel inteſtinis accumbit, & quò pauciore, vel ampliore copia ea ſuccenſet, eò crebrioribus vel rarioribus paroxyſmis torquetur æger; ſcilicet, vel quovis tertio, vel ſecundo die, vel diebus ſingulis paroxyſmo, vel quandoque tribus in die naturali. Quo autem magis procul ab inteſtinis vel ventriculo, vel propius ad hepar eſt materia, tertianam parit, & propius lienem quartanam. Inſuper, ſi materiæ febrilis

particulæ intermediæ ceu neutrales solutiores laxioresve fuerint, tertiana emergit; sin minus solutæ, & laxatu difficiliores vel diutiniores, quartana, quintana, sextana, vel mense uno, duobus, tribusve, pluribusque mensibus paroxysmus exoritur, prout eum nonnulli passi fuerunt. Porro, quacunque in parte glandulæ, vel glandulosa hominis corpora succum lymphaticum vitiosum assumserint, pars ista singularis tantùm, parteisque adjacentes paroxysmis febrilibus *typicis* subjectæ fuere, sicuti nonnunquam observatum fuit, quod totum caput in quibusdam succum cerebrosum depravate dispositum hospitantibus (prout antè dictum) tertianæ simplicis, duplicis, & quartanæ paroxysmis affectum fuerit. Pariter, nonnulli in odontalgia ab irruptione lymphæ depravatæ in maxillam inferiorem superioremve, in gena singulari tantum, simplicis, & quandoque duplicis tertianæ paroxysmos, cum rigore vel frigore præcurrente, exinde cum calore flagrante, & demum cum sudore,

ſudore, in iſta parte paſſi fuere; ſanè clariſſimi *Sylvii* ſuccus pancreaticus iſtorum ſymptomatum febrilium, vel eorum, quæ nonnunquam febribus intermittentibus à vulnere vel ulcere, externo ſive interno ortis ſuperveniunt, rationi explicandæ inutilis foret. Adhæc non ſolum univerſa nervorum ſyntaxis, quinimo nervi partis unius ſingularis, vel artus, interdum febrim intermittentem à ſucci nervoſi ebullitione oriundam ſubivêre, quod etiam Hippocrates innuere videtur in aphoriſmo, è quo deduci poteſt febrim convulſionibus vel tetano ſupervenientem, iſtas huncve ſolvere.

Atqui multo minus frebrium intermittentium ſymptomatis typiſque applicari poteſt inſigniſſimi *Williſii* hypotheſis, ſuccum nutritium ceu chylum indies confectum, & poſtmodum maſſæ ſanguineæ admiſtum, omnia iſta *adventitia* & variationes parere inferens, quum haud raro æger vix quicquam cibi duobus tribuſve diebus ingerat; præterea in febribus epidemicis, & endemicis, quibus aer paludoſus

&c.

& ſalſus malum attulerit, profecto chylus in reum neutiquam adducendus eſt. Quò autem lectorem ipſius opinionis fautorem reddat, in humorum quorumcunque ſtagnationem increpat (ne inde ſymptomatum prædictorum cauſam eliciat) tanquam impoſſibilem, cùm ſanguinis circulatio (prout innuere videtur) ei prorſus obſtet, omneſque humores in perennem motum adigat, quaſi Thamiſeos vel Moſæ fluminis motus continuatus, ut rapidus, tantum perficeret, ne aqua in rivulis ex iſtis emanantibus ſtagnaret; quinimo ſtagnat aqua in fundo fluvii rapidiſſimi cum luto miſta. An non in Apoplexia & omni tumorum, tùm externorum, tùm internorum, puſtularumque ſpecie, item quacunque viſcerum vaſorumque obſtructione datur humorum ſtagnatio? ultra omne dubium ſtagnant perſæpe humores in vaſis minoribus. Præſtantiſſimi illi pares Williſius & Sylvius optimeque de re medica meriti, non obſtantibus omnibus illorum ingenioſiſſimis inventis, in curandis febribus intermittentibus

mittentibus, non raro ruſticis, aniculis, eorumque euporiſtis remediis locum cedere coacti fuere.

Quod ad certa tempora paroxyſmorum febrilium reditiones attineat, à febrilis materiæ proportione parata, ejuſq; vicino, vel longinquo ſitu à ventriculo & inteſtinis, ſunt eliciendæ; nam pro quanto materia eſt præparata, h. e. cujus particulæ intermediæ *, ceu neutrales ſunt ſolutæ, laxatæve, pro iſta proportione paroxyſmi fiunt breviores aut longiores. Adeo ut ſupponendum fuerit, Quod tota vitiata glanduloſa materia, in abdominis glandulis earumque vaſis contenta, non ſimul & ſemel in ſingulis paroxyſmis ebulliat, ſed ſolummodo pars iſtius, quæ eodem modo præparata & diſpoſita fuerit, ac dictum fuit; poſtmodum cum ſanguine miſta ardorem parit, & deinceps ejus portio tenuior ſudore, & craſſior urina, in qua ſub ſedimenti ſpecie cernitur, exterminatur.

* *Nam hujuſmodi particulæ intermediæ ſunt vinculum particularum activarum ſibi invicem contrariarum.*

Quo-

Quocirca quandocunque tertiana laborantis urina poſt peractum paroxyſmum ſedimento rufo onuſta notatur, nihil eſt dubitandum, quin fuerit paroxyſmus valde protractus, flagrans, & difficilis; ſin ſedimentum fuerit paucum, & pallido-ſubrubicundum ſatis faciliter brevique ſuperatus fuit paroxyſmus, excepta tamen in caſu utroque urina à tertiana maligna ægro emicta, cujuſmodi febris, prout vicibus pluribus quam una obſervavi, tertio vel quarto paroxyſmo interemit patientem. 2. Materia febrili exigente præparationem 12, 14, 24 vel 36 horarum, vel trium dierum, vel ultra, his caſibus ſuppono paroxyſmorum recurſum fieri ad horas vel dies prædictos; qua de re una die materia febrili 24 horas poſtulante, quò paroxyſmo adaptetur, & proxima alterna die tantùm 22, paroxyſmus ergo duabus horis anticipabitur; ac requirente 26 horas, poſtponetur duabus horis. Adhæc, quamvis pro crebriore more tertiana ſimplex reditum diebus alternis, ter-

tiana

tiana geminata ſingulis diebus, & quartana quarto quovis die (incluſive ſupputanto diem poſtremi paroxyſmi pro uno, & diem ſequentis paroxyſmi pro altero die) ſortiantur, nihiloſecius quandoque animadverti, quod ſoluto paroxyſmo uno, quàm mox inſecutus fuit alter, ita ut nonnulli viginti quatuor horarum tractu tres quatuorve fuerint paſſi paroxyſmos, prout materia febrilis velociore vel tardiore tempore in præparatum exegerit. Exinde liquet, febrium intermittentium typos numero auctiore abundare. 3. Tametſi communiter in paroxyſmo materia febrilis proximè inteſtinis & ventriculo accumbens eſt portio primò ebulliens, atque pari pacto ſucceſſivè in ſubſequente paroxyſmo ea, quæ iſti proxime adjacet, id quod excrementorum vicinia inteſtina trajicientium præfatam ebullitionem magnopere promovet, attamen quibuſdam accidit, ut materia febrilis ulterius diffita primò in ebullitionem rapiatur; hoc in caſu vel *Chinchina* haud omnino paroxyſmos

roxyſmos inhibet, vel ſaltem ſi quicquam ejuſmodi moliatur, fit poſt ipſius uſum pervagum & diuturnum. 4. Ex omnibus hiſce ſuppoſitis vix concipi poteſt, febrim ejuſve eſſentiam in ardore ceu fervore conſiſtere, qui febris ſymptoma (neutiquam ſignum pathognomonicum) ſolummodò exiſtimari poteſt, quum multis in febribus admodum exiguus deprehendatur fervor, vel haud ullus omnino, adeo ut diſpoſitio iſta univerſalis præter naturam, à materiæ febrilis ebullitione parta, ſit cenſenda febris. 5. Licet ex antiquorum dogmatibus ſtatuatur, meri ceu vini non diluti potum, carnium potentium, muriaticorum, & *pipere* aliiſve aromatibus conditorum eſum, nec non temperamentum calidum, ætatem juvenilem, Clima æſtuoſius, tempeſtatem vernam, autumnamve, ſimiliave febrim inducere intermittentem, continuamve; Altroverſum, lacte lacticiniiſque indies veſcentes, item è lactuca, portulaca aliiſque herbis refrigerantibus acetariis ſe paſci-

paſcitantes, hydropotas, abſtemios, vivendi regimine temperatiſſimos viros, mulieres, juvenes, pueros, quinetiam infantes in plaga boreali quacunque anni tempeſtate in febres intermittentes continuaſve collapſos eſſe, crebro compertum fuit. E quo conſtat, minimè Galenica dogmata caloris, æſtus, & febrium ætiologiæ idonea eſſe; haud multo magis hypotheſis Clariſſimi Sylvii, ſuper ſucci pancreatici acore ſtabilita; quiſnam pro veriſimili, aut probabili aſſumere poſſet, pancreatis aliarumque glandularum carnem, delicatam adeo, dulcemque, ut nihil magis, nutriri ſucco tantopere acri & acido, vel, ſi eo non nutriatur, tranſitum ei concedere abſque ſumma læſione & injuria, neceſſario inſerenda à ſucco adeo acerbo; etenim medici fere omnes aſtipulantur, quod nihil magis glandulis obſit atque quiſcunque humor acidus, prout in ſcrophulis ſtrumaque ſatis conſtat. Sanè ſi fuerit ſanum recenſque quovis animali pancreas extractum, nemo vel guſtu vel odoratu

odoratu quam minimum aciduli in eo unquam percepit, licet nimio tempore asservatum ejusmodi acorem facile asciscat, atque nequaquam dubitandum sit, quin in corporibus quibusdam morbidis succus glanduloſus, etiam in ipso pancreate nonnunquam in acidum vertatur, & forsan ad provectum gradum, unde tamen necessario diarrhæa serosa, vel dysenteria insequi debeat. Quod virum doctissimum devium duxit, fuit (prout conjicio) ductus pancreaticus, qui cùm ampliusculus fuerit, evacuandis excrementis serosis vel lymphaticis inservire debere fortè ratus fuit; at excernenda ista ut fuerint acida, minime necesse est in corpore sano, licet in ægris sæpius talia fiant, unde plurimi exoriuntur morbi. Secundo suppoſito, quod in corpore febrili excrementum prædictum lymphaticum fuerit acidum, atque cum nuperrime confecto chylo revehatur in massam sanguineam, in qua febrilem excitet ebullitionem, si æger per plures dies nihil comedat (quod haud raro accidit)

dit) nec chylum conficiat, nihil febrile inde accendi poteſt. 3. Porro conceſſo, quod ſit acidus in febricitantibus, atque debeat in inteſtinis primo fermentationem vel ebullitionem parere, autumat clariſſimus vir eam fieri bilis occurſu, quod tamen maxime dubitandum eſt, quum affuſo quocunque acidi genere bili bovillæ vel cujuſvis animalis, nulla producatur fermentatio, ſed acidum bilem præcipitabit. Summatim tam remedia ſc. *febri-fugæ*, quam variæ intermittentium febrium ſpecies ipſius hypotheſi difficillime adaptari poſſunt; nihilominus quod ſit ingenioſiſſimum commentum nullus inficiari debuit.

Quod bilis reſervetur in folliculo proprio, quouſque fiat pungens & ſtimulans, ut lactum exinanitarum fæces & craſſamina ſcoparum vice expurget abſtergatque, & inteſtina craſſa extercoret, eaque ad excernendas fæces alvinas (quibus etiam colorem ſuum rufum impertit; argumentum planum, quorſus vadat) proritet, non magis

magis alienum videri debet, atque quod vesica sit destinata in follem, ad ad retinendam in tempus debitum urinam, idoneum. Si autem fel in folliculo retineatur, quousque fiat acidius, diarrhæam bilioſam, dyſenteriam, alioſque alvi fluxus eſt inducturum. Quantum ad uſum ſucci glanduloſi excrementitii è ductu pancreatico excernendi, opinor craſſiore ejus portione inteſtina obliniri, ne à bile tranſeunte, chyloque acri lædantur, tenuiorem inteſtina abluere. Haud diſſimilem uſum præſtat ſuccus excrementitius glandularum circa pharingem & æſophagum, cujus craſſiore parte æſophagus oblinitur lubricaturque, ut ea ab aſperitate deglutitorum defendatur, atque lævior faciliorque præbeatur ingeſtis cibis tranſitus; tenuior vero pars per ductus ſalivales in concavum oris exoneratur, ut hoc (quod aliàs, loquendo, aerem externum *inſpiratione* admittendo, & è pulmonibus fuliginoſo aeri regreſſum cedendo, impenſe ſiccum evaderet)continuo humectet

mectet,&cibis,quô facilius masticentur & deglutiantur,aliquatenus portionem contribuat ; portio vero superflua sputo est ableganda. Adeo ut mihi mera chimæra videatur suppositum istud, quod sale volatili necessariò ad fermentationem excitandam requisito abundet sputum, atque plura hiuc consimilia : tantum abest ut sputum sit necessario deglutiendum, quin potius sit chylosi ingenti impedimento, ventriculoque & laborem,languorem & nausèam pariat.

Saliva dicitur quasi salsus liquor (licèt à saliendo, ceu jugiter & saltuatim crescendo plerisque derivetur) emanatque è ductibus salivaribus, exhaurientibus hanc ex æsophagi & ventriculi glandulis, inter quas ductibus lymphaticis mediantibus communicatio intercedit ; quodcunque enim in ventriculo contineatur, sine bilis flava, vel porracea, sive pituita acida, sive cruditas acida post crapulam cœnamve copiosiorem, vel *nidorulenta*, aliudve

aliudve ex ingestis pravi saporis, eorundem omnium sapore imbuitur saliva, prout quivis uno vel altero tempore, præsertim matutino, in se ipso, putà ore suo expertus fuit; adeo ut orificia quædam in lymphæ ductuum prædictorum terminationibus in ventriculum hiascant, in animali mortuo minus visibilium atque illa, quæ in vasa lactea ingressum concedunt; attamen in cane saturato pulte è lacte & pane albo confecto, ac mercurii sublimati tantillo permisto, aliquanto post tempore laqueo suspenso & ocyssime dissecto, glandulas prædictas una cum vasis cernere licet.

D. *Vander Linden*, p. m. quondam præceptor meus, vir in medicina theoretica absolutissimus, distinctionem ponere solebat inter recrementa & excrementa; illa esse superflua in corpore, at ad quendam usum præstandum servanda, quo peracto, excernenda esse; hæc vero esse præternaturalia quam primum eliminanda, docebat, prout recordor

recordor. Iccirco saliva, succus Pancreaticus sylvianus, bilis, &c. pro Domini Lindani sententia recrementa dicenda sunt.

Quum haud arduum fuerit è passim dictis de febribus continuis earumque causis, rationes illarum harumque, sc. febrium *variationum*, symptomatum, & terminationum elicere, impræsentiarum de illis ampliandi opera fastidioque supersedebo. Hoc vero pronunciandum censeo, quod veluti continuarum febrium hypothesin è remediis à me ipso detectis, & propria manu præparatis depromserim, quorum effectus instituto meo ut plurimum responderunt, remedia cætera (*antifebrilia*) ab antiquis & hodiernis medicis in usum ducta, dolosa, noxia & pura puta *Expectationis* auxilia esse comperto, pariter medicorum molimnibus commendatam habuerim investigationem aliorum remediorum, quæ non tantùm ad sensum febribus continuis, quinetiam morbis aliis medicari evaleant,

evaleant, atque inventa sibi asservent, propriisque manibus præparent, ut myropolarum illis abutendi consuetudini prævertant; & porro ne tempus inutiliter anatomicis frivolis explorationibus, *microscopis*, *siphonibus*, & *dioptris* allucinando conterant, quò plebem in fidem traducant, quod necessario morborum curandorum peritia præstent, (licet remediorum sint ignorantissimi) quia *phænomena* quædam novissima in lucem produxerint è dissecandis cadaveribus, quo artificio forsan centenos aliquot Vita defraudarunt, quum tamen uti ante propalatum fuit, summi anatomici plerumque sint infelicissimi medici. Sanè Ars medica prout ejus regulæ in praxin usumque à medicis ducuntur, asse cara est, cum ipsa & medici in eodem pendeant æquilibrio, quo spuria Turcarum Indorumque religio & *Mufti Bramenique*, quorum nihil refert an illa vera an falsa fuerit, modò hujus ope plebi optimatibusque dominari, & ex illis victum lautiorem, opes, honores & obedientiam

tiam ſibi comparare poſſint, quorum potiendi ſpe ut decidant, vix eſt poſſibile, quum religio iſta falſa illis vi & lege ſancita imponatur, atque eidem aſſuetudine & parentum exemplis à teneris annis adaugeſcant (uti alibi notatum) conſimiliter & ars medica, ad magnam partem falſiſſima (præterquam enim vomitoriis & purgantibus malè concinnatis, pejus præparatis, & perſæpe peſſime applicitis abdomen evacuare, morbo gallico laborantibus mercurialibus nonnunquam haud rite adaptatis ptyaliſmum movere, plurimis ad mortem uſque, opio narcoticiſque ſomnum non raro ſempiternum miſeris conciliare, & Chinchinâ intempeſtivius paroxyſmos ſupprimere, vix quicquam certi, auxiliis chirurgicis exceptis, præſtare valent medici, vi & lege ſancita apud plures gentes ſtabilita eſt, prout liquet è privilegiis Coll — is medicis conceſſis, quæ gratiâ præfatâ abutientia praxin in monopolium vertunt, & omnium vitam, opes, & obedientiam cæcam iplorum dominationi &

jugo ſubigunt, adeo ut ſit commune adagium, ſc. *volo mori ſub manibus doctorum*, ceu eruditorum; quaſi dicere velint, *malo à laniſta Jugulari, quam à lanione.*

CAP.

CAP. XXX.

De Spiritibus Naturalibus, Vitalibus, Animalibus, & Glanduloſis.

SUperiùs animadverſum fuit, Spiritus Animales Febri, non phlogoſi, vel breviori febriculæ *Diariæ* appellatione donatæ tantùm, ſed etiam continuæ ſubjectos eſſe in plures luces protrahendæ, & nonnunquam lethali. Quocirca inveſtigationem neceſſariam duco, quid ſint ſpiritus, qui omnium ore tam communiter exprimuntur, narrantium quod ſpiritus hoc vel illud efficiunt, vel opprimuntur ſpiritus, vel deficiunt, & id genus alia; atque cujuſmodi ideam ſpirituum medicorum Vulgus ſibi formet, quos tam crebro invocat. Dictionis ſpiritus derivatio, à ſpirando videtur innuere, eos eſſe corpuſcula minutiſſima, & perinde ſubtiliſſima & inſenſilia ac ventus, vel flatus; aut ſibilus expirando emiſſus; atqui quali ſint figura, forma, conſti-

tutione, mixtura, vel crasi; vel num fuerint corpuscula minutissima universalia, & omnibus subjectis & rebus communia (ad instar spirituum mundi) & solummodo *specifice* distinguantur à subjectis, quibus inseruntur; exempli gratia, spiritus sanguini humano inserti *specifice* sanguinis humani spiritus, iidem spiritus universales sanguini bovillo communicati, sanguinis bovini spiritus nominantur; an vero spiritus distincte in homine generentur, ab illis in bestia, herba, vel ullo alio corpore naturali genitis differentes; an spiritus sint corpuscula minutissima, agillima, agitabilissima, & soluta, in humoribus vel succis fluitantia, instar atomorum in radiis solis volitantium, medicos indagasse oportuit. Quantum hactenus ex Authorum lectione, vel medicorum, aut philosophorum sermonibus capere possim, nequaquam apprehendo, quid voce spiritus significetur, quapropter è re fore reor, si ulterius istam materiam perscruter, measque qualescunque hypotheses proponam. Sup-

Suppono ergo more Carteſiano: 1. Omnia corpora naturalia conſtare è partium triplici genere, ſcilicet e ſubtiliſſimis, craſſiſſimis, & intermediis, quæ nec ſunt craſſæ, nec ſubtiles. 2. Suppono etiam, quod ordine naturæ partes ſubtiliſſimæ non poſſint fieri partes intermediæ, nec partes intermediæ poſſint fieri craſſæ. Aqua calore ſolari rarefacta, in nubes ſublata, & poſtmodo denuo incraſſata ceu condenſata in pluviam objectionis nihil affert; etenim aquæ integrum corpus naturale rarefit, & deinceps iterum condenſatur ceu incraſſatur; at *conſtitutivæ* ceu conſtituentes ſubtiliſſimæ particulæ aquæ minime poſſunt condenſari, ceu incraſſari in particulas aquæ craſſas *conſtitutivas*. 3. Suppono particulas craſſas *conſtitutivas* fieri poſſe particulas intermedias, & intermedias fieri poſſe ſubtiliſſimas; vini tartarus in vini ſpiritus poteſt *ſubtiliari*, triticum in farinam poteſt conteri; at ſpiritus vini in tartarum, & farina in triticum non poſſunt reduci. Ob-

jectio axiomatis, quod *ex quo aliquid primo fit, in illud ultimo resolvitur*, nihil urget, quum axioma istud referatur ad principia corporis naturalis. Suppositis prioribus illis duobus, & tertio etiam supposito; at concessum hoc vel non concessum haud multam obstabit; concipio. 1. Spiritus sanguinis esse partes ejus subtilissimas, ut etiam spiritus succorum *neurinorum*, & glanduloforum esse illorum horumque partes subtilissimas, qui priores appellantur naturales in venis, & vitales in arteriis, posteriores spiritus animales, & glanduloſi. 2. Spiritus naturales confici posse in spiritus vitales, & hos in spiritus animales, & glanduloſos; verùm spiritus animales vel glanduloſi non possunt reduci in spiritus vitales, vel naturales. 4. Spiritus vitales pro magna parte in spiritus animales, & glanduloſos conficiuntur; pro altera portione in sanguine vitali ceu *arterioso* simul cum eo in partium nutriendarum nutritionem transeunt, adeo ut sanguis arteriosus,

arterioſus, cùm circulando fit redux in venas, ſpiritibus vitalibus ſit penitus orbatus, & denuo a corde in ſpiritus vitales elaborandus. 5. Spiritus conſtare è particulis iiſdem *conſtitutitivis* atque humores, è quibus confecti fuere, at impendio ſubtilioribus, i. e. ſubtiliſſimis particulis conſtitutivis; quocirca ſpiritus pariter ac humores è particulis duabus activis ſibi mutuo contrariis, & è tertiis intermediis *mucilaginoſis* & tenacibus conſtant, prout ſuperius ſuppoſui. 6. Spiritus quoſdam, (ceu ſpirituum partem) in quocunque corpore *ſpirituoſo* eſſe liberos, vagos, & quoquoverſus mobiles; quoſdam (aliam partem ſpirituum) eſſe immerſos circumcirca in corpus ſpirituoſum, & continuos, ſive ſibi invicem adhærentes; quum enim ſupponantur ſpiritus partim conſiſtere è particulis *mucilaginoſis*, & tenacibus intermediis, oportet ut tenacitate cum ſe invicem cohæreant, ad inſtar filorum ſubtiliſſimorum, corpori ſpirituoſo immerſorum, & per id undique ſeminatorum, & telæ inſtar

intertextorum ſparſorumque. Quintum hoc ſuppoſitum ſatis patet in vino, & ſanguine Phlebotomo dempto; prioris enim ſpiritus vagi & mobiles evaporatione odoratui occurrunt; poſterioris ſpiritibus evaporando ſecedentibus, colorum mutationem hic (puta ſanguis) actutum ſubit. Nihilo ſecius in vino remanent ſpiritus immerſi, & per omnes partes intertexti, donec vini ſaporem retinet; itidem in ſanguine reſidui ſunt ſpiritus immerſi, quos deſtillando elicere quivis poteſt. Adhæc, quo ſpiritus iſti immerſi, & tenacitatis medio in fila ducti, à corpore in quod ſunt immerſi, avellantur, oportet, ut particulæ tenacitate compactæ relaxentur, prout obſervare eſt in ſucco ceraſorum, cochleariæ, baccarum ſambuci, aliorumque fructuum, quibus ut deſtillatione avellantur ſpiritus, ſuccos prædictos in fermentationem adigi neceſſe eſt.

Ex hiſce ſuppoſitis infero, 1. Spiritus animales à cerebro confici, ſuccum iſtum tenuiſſimum & tenacem à ſero ſanguinis

ſanguinis ſeparando, eumque trans poros ductuſque ſuos perangustos trajiciendo,& poſtmodo ſub forma tenuiſſimorum filorum in anguſtiſſimos nervorum canaliculos (quorum plerique ſunt cavitate inſenſili ſecundum longitudinem directi ad nervorum extremitates uſque, à quibus ſcilicet directis tota via à nervorum principiis ad extremitates uſque aliæ laterales canaliculæ anguſtiſſimæ ad nervorum parietes tranſverſim & oblique tendunt) tum directos, cum latera verſus tranſverſos & obliquos impelli, adeo ut idea retractionis à facultate locomotiva in cerebri filis formata, & filis nervorum ſcilicet *ſpirituoſis* (adhærentibus continuitate filis cerebri *ſpiritualibus*) impreſſa, nervi & nervorum *fibrillæ* unà cum muſculis (per quos ſunt diſpertiti) ac artubus articuliſve ab illis retractis adducantur; at idea propulsûs iiſdem impoſita, nervi eorumque *fibrillæ*, muſculi, & artus vel articuli extenduntur. 2. Motus convulſivos fieri, ubi nervi vel eorum *fibrillæ* ſunt rigidi extenſione nimia,

mia, flatibus, vel quacunque causa pungente & stimulante, atque eodem momento fila spirituosa nimis extenduntur, vel in præternaturaliter acuta degenerantur. 3. Dolorem excitari, quotiescunque vi externa vel interna dirumpantur spirituum animalium fila, quorum acutæ extremitates partes proximas tactus sensu à spiritibus animalibus vagis donatas pungunt. 4. Partes corporis sensiles tactus sensu impertitas esse à spiritibus animalibus sensiferis vagis, *i. e.* à filis horum breviſſimis, sed dense sibi invicem & partibus intertextis. 5. Humiditates & pituitam in cerebro adeo exuberantes esse, recrementa seri sanguinis, è quo spiritus animales fuerint confecti. 6. Potiorem seri partem, quæ colum cerebri anguſtiſſimum traducta limpida evasit, spiritus animales comitari, quò ingressum in nervorum ductus peranguſtos transitumque faciliores præbeat. 7. Rupto vel præciso nervo succum lymphaticum proxime dictum extillare turbidum, ob misturam spirituum

tuum animalium, dum areſcat (inſtar rami putati arboris, cujus ſuccus evaporat uſque donec ejus extremitas aret) tunc autem limpida emanat. Ubi penitus exaruit nervi extremitas, cohibetur ſucci diſtillatio. 8. Integrum artum marceſcere ſi diutius extillet ſuccus lymphaticus; ſi diutiſſime, corpus integrum tabe confici, mortem paulo poſt ſubiturum: Ratio eſt, quia cerebrum copioſiorem ſeri partem ſibi aſſumens, ſupplendi gratia ſpiritus animales & lympham nervo cæſo extillantes, primo artum læſum, exinde totum corpus genio defraudat. 9. Somnum adeſſe, ubi fila ſpirituum animalium in cerebro circa nervorum principia fiunt flaccida, & canaliculi aliquantillum concidunt à materiæ inopia, è qua conficiantur ſpiritus animales, cujuſmodi ſomnolentia illis ſupervenit, quibus phlebotomia vel hæmorrhagia nimis ſanguinis ademptum fuit. 10. Morborum omnium cerebri, aliorumque à ſpirituum animalium vitio dependentium

ætiolo-

ætiologiam à phænomenis istis præmissis sumptam, mihi facilius & clarius satisfacere, indeque indicationes praxi aptiores eruere me posse. 11. Spiritus vitales animalibus longe crassiores, filaque eorum multo breviora, obtusa, laxaque esse; atque arterias totumque corpus multo magis scatere spiritibus vitalibus vagis. Utcunque autem phænomena ista probabilia, vera, vel falsa (de quorum tamen veritate neutiquam ipsemet ambigo, pluraque argumenta satis liquida mihi sunt in promptu, quorum recensio quum in nimiam excurreret latitudinem, aliò est transferenda) fuerint, si lectori minus arrideant, unicum hoc saltem me effeciisse, scilicet eum moviisse ad meliora utilioraque excogitanda vel detegenda, atque sunt obscura & falsa ista ab antiquis vel neotericis de prædicta materia tradita, gratulor. Plura impræsentiarum e præfatis inferre nec libet, nec licet; solummodo affinitatis subjecti ergo, observationem unicam subnectam chirurgicam.

Obo-

Oboritur quandoque ſecus glandulas, vel haud longe à locis glandulosis diffitus tumor, qui à chirurgorum vulgo vocatur tumor albus, eſtque cum cute concolor, renitens inſtar emphyſematis (pro quo eum nonnulli, licet decepti , ſumsêre) ab exiguo in amplum, exinde in ampliſſimum accreſcens, adeo ut duos haud ita pridem videre mihi contigerit, quorum unus totam ſcapulam , magnam brachij & pectoris partem ad muſculum pectoralem verſus, ac colli latus occupabat; alter à muſculo pectorali ad axillam , humerum, totumque fere brachium decurrebat ; ſi *cauterio potentiali*, vel ſcalpello, vel ſponte nimia extuberatione , vel materiæ contentæ eroſione aperiatur tumor, profluit ingenti copia materia quædam tenuis & turbida, inſtar ſeri lactis, quinimo, licet turunda è ſpongia formata obturetur oriſicium,emplaſtro tenaciſſimo & linteo quadruplicato contegatur, atque faſcia denſa arcte ligetur, materia tantâ copiâ trans prædicta omnia integumenta

fluet,

fluet, ut quandoque ſeſquilibram, vel duas pro conjectura libras, per trinoctium profluxiſſe notaverim. Stipatur febri Hectica, & maraſmo, pauciſque diebus poſt apertionem ægrum interimit. Quod ad materiam contentam ſpectat, nullus dubito, quin fuerit ſuccus glanduloſus, è vaſe lymphatico à glandulis oriundo rupto vel corroſo affatim profluens. Neque ullo modo ejuſmodi tumor confirmatus curari poteſt, niſi rectâ appropinquare, eidemque *cauterium actuale* admovere licitum fuerit, & poſtmodum cauſa proegumena correcta fuerit.

CAP.

CAP. XXXI.

De Asthmate.

UT succi glanduloſi Sermonem paulo latius proſequar, quid in aſthmate, vulgari obſervaverim, primario tamen, dicendum; etenim datur & alia aſthmatis ſpecies, nempe ſecundaria, cujus cauſa vi diaphragmati illatæ, itemq; fermentationi, vel ebullitioni ſanguinis pulmonalis, à ſuccis abdominis glandularum in ſanguinem irrepentibus genitæ aſcribenda eſt. Aſthmaticorum ſanguinem venæ ſectione depromtum in exacerbationibus perſcrutando, crebro animadverti, colore quandoque intenſe rubro, & nonnunquam variegato, vel colore collæ ſolutæ, craſſum, etiam tenacem adeo eum eſſe, qui ne cultri acie findi potuerit, atque ſiccum in tantum, ut ne guttula unica ſeri irrigatus fuerit. Exacerbatione autem terminata, ſanguis nonnunquam colorem priſtinum, conſiſtentiam, ſerique per-

perfusionem debitas assumsit, interdum pejora omnia indicavit. Tussis plerunque admodum varia, scilicet diversis tempestatibus cruda, digesta, tenuia, crassa, glutinosa, excretu facilia, & difficilia sunt Expectorata; item quibusdam Ptyalismi species accidit. Sanguinis siccitas ante notata præ alijs animadversionem deposcit, videturque talis, unde cætera dependent. Lympha etenim, quæ in glandulis à succo glanduloso separata à venis recipienda esset, ut fluidior fiat sanguis, in vasis stagnat, unde sanguis siccus crassus & tenax evadens, cor difficulter admodum traducitur, à quo emergit palpitatio permolesta, atque ad vasa pulmonalia appellens, lentissime & difficillime per ea protruditur, quinimo aliquando in ijs pene stagnat, unde summa ejus gravitate & pondere pulmones opprimit, adeo ut inspirando & expirando inpensius laborent, movereque vix queant.

Quod expectorata in taliter anhelis sint pituita cruda & crassa, in pulmonibus

monibus à ſanguine ſeparata, multo minus quod fuerint pituita catarrho à cerebro in pulmones illapſa, prout ſtolidiſſime antiqui tradidere, & etiamnum medicorum nonnulli credunt, neutiquam opinor; atqui eſſe ſuccum glandulosum prava affectione incraſſatum, exaſperatumque in glandulis tracheæ arteriæ, partiumq. vicinarum, prædicto ſucco impenſe tumidarum arbitror; unde anguſtia exoritur aſperæ arteriæ, ſibilum aſthmaticorum efficiens, Aere ad glandulas tumidas, pituitamque aſperam & inæqualem ex eis expreſſam, illiſque adhærentem allidendo, & ab illis refracto. Antè ſuppoſitorum veritas, vel ſaltem probabilitas haud obſcurè liquet in equo anhelo (*broken-winded*, gallis *cheval pouſſif*, belgiſque *dempigh* paert) ſeu aſthmatico (nam vero aſthmati hic ſubjicitur) cujus jugulum paulo infra maxillam inferiorem arctius contrectando, glandulas ibidem inſigniter tumidas eſt perſentiſcere, unde anguſtia non tantum aſperæ arteriæ, verumetiam æſophagi exoritur;

ritur; consimiliter & in homine asthmatico eadem deprehendi possunt circa laringem; & pro asperæ arteriæ longitudine producta ad bronchia usque, sensum ejusmodi glandularum tumefactarum asthmaticus concipit.

Phlebotomiam primam asthmaticis actutum allevamentum afferre, secundam (tertiamque quandoque) idem sæpe præstare, certissime constat, nimirum sanguinem sarcinamque diminuendo, quo amplius spatium in vasis sanguini circulando pulmonesque trajiciendo, nec non spiritibus liberius movendo, agendo, & pituitam in partibus affectis digerendo, separando, & expectoratione separando, conceditur. Atqui si sanguinis nimis vel vicibus nimijs sanguis dematur, vasa extemplo concidunt, unde tunc sanguis per ea multo difficilius fit mobilis, spiritus in tantum depauperantur, ut neque movendo sanguini, nec pituitæ digerendæ, separandæ, & excernendæ nullo modo pares fuerint: Æquè certissime constat, hoc in casu Medicum patientem

tem jugulare, quocirca admodum caute illi de Phlebotomia eſt decernendum. Verum ſophiſma admodum vulgivagum, vel argumentandi ratio deceptiſſima eſt penes Medicos, videlicet, Phlebotomia, purgatio, vel quod vis aliud remedium prima vice profuit; Ergo ſecunda vice repetitum magis proderit, & tertia, quarta vel quinta vice repetitum maxime proderit, quum ſæpiſſime prima vice profuiſſe compertum fuerit, ac ſecunda, tertia, vel quartavice reiteratum pro certo ægrum è medio ſuſtuliſſe non minus conſtiterit. Mirandum magis, ipſos ægri defuncti affines & aſtantes de obitu patientis percontantibus, & mortem ejus remedio ſæpius repetito à Doctore adhibito imputantibus in ſui conſolationem ſatisfactionemque reſponſum dediſſe, idem ipſum remedium quam primùm æger ſumſerit, eum mox à primo inſtanti ſummam allevationem percepiſſe, nequaquam ſuſpicantes, remedij nimias repetitiones defuncto cauſam mortis vel ſatius homicidij fuiſſe.

Impendiò

Impendio magis mirandum audaciæ inſcitiæque medicorum me ſubit, qui è fallaci catarrhi dogmate pilulas è ſtyrace, de cynogloſſa, ſimiliave præſcribere audeant, quum exempla eadem nocte iſto remedio interemptorum aſthmaticorum perplura exſtiterint, & indies exſtent, ad ejuſmodi auſum Patientum querela de pervigilio forſan adacti, indicationi falſæ compeſcendi catarrhi ſatisfactum iri, rati ſunt. Quinimo complures aſthmatici imprudentiam ſuam ſumptarum ſuapte ſponte *Matthæidis* cujuſdam Empirici pilularum ex opio cum helleboro nigro compoſitarum morte luerunt.

Intueamur jam medicos, quam belle in luto hæreant cum ipſorum methodo medendi, cujus indicationes (præteritis illis quæ ad cauſam antecedentem internam ſpectant) cauſam conjunctam, ſc. pituitam viſcidam & tenacem attenuandam, incidendam, & expectorando explodendam è pulmonibus (prout iſti putant) præcipiunt; atqui ubi ſunt inſtrumenta, quibus

opus

opus adeo longinquum perficiatur? *mellita* & *ſaccharata* communiter præſcripta vix nomen expectationis remediorum merentur, cum plurimum morbo obſint. Sane quædam ſunt remedia viliſſima *Methodiſtis* incognita, quæ in hoc caſu mira præſtant; at ſeplaſiariis minime ſunt communicanda.

CAP.

CAP. XXXII.

De Apoplexia Medicorum nonnullorum è noſtris famoſiſſimorum, potius dixerim, Medicinæ præſcriptorum.

QUUM præmiſſa quædam in Capite de Aſthmate optime inſerviant explicando mihi errori fœdo quorundam, Apoplexiæ & paroxyſmorum apoplecticorum nomina morbis, quibus plures intra biennium vel quadriennium in hac inſula obierunt, imponentium, hoc Caput proximo ſubnectendum duxi.

Quicunque aſpectu ſanus, vel aliquantillum tantum valetudinarius, vel in ſtatu neutro exiſtens ſubita morte obruatur, ab inſigniſſimis noſtris medicinæ *præſcriptoribus* apoplexiâ defunctus dicendus eſt; ergo pro eadem regula vel dicendi more, omnes fures & latrones patibulo enecati, apoplectici mortui ſunt. Verumenimvero res aliter ſe habet, & judicium iſtorum de

de Apoplexia errabundum, ab *inſtitutionibus medicis* minus ab eis intellectis falſoque apprehenſis profluit. Apoplexia eſt cerebri morbus primarius, tam ſimplex quam organicus, quo univerſa craſis, totumque ejus organon ſubito corruunt & ſubvertuntur, undeq; etiam tota facultas animalis ſubito corruit, & omnes actiones & functiones ab ea perfectæ ſubito ſiſtuntur & præciduntur; hinc in omni apoplexia ſtertor cum ſpuma oris, ſubita ſenſuum internorum & externorum, & motus animalis præciſio. Adhæc ſigna communia præcurrentia ſunt plerunque dolor capitis intenſus & *gravativus*, item arteriarum carotidarum vibratio, ſomnolentia, venarum arteriarumque totius Capitis *intumeſcentia*, genarum univerſæque faciei & colli rubor, aliaque. Adeo ut is, qui apoplexia abſoluta & perfecta perculſus eſt, quaſi morte perculſus dicendus ſit. Quomodo autem quis corripi dicatur paroxyſmis apoplecticis, *h. e.* mortis paroxyſmis vel repetita morte, niſi à nugivendulis

lis & gurdis, nequaquam capere poſſum; nam Apoplexia perfecta eſt ipſa mors, vel lethalis eſt & incurabilis; imperfecta eſt ut plurimum lethalis, & quandoque curabilis, at quæ ſemper in paralyſin terminatur. Qui vero à biennio vel triennio mortem ſubitam ſubierunt, nec ſtertor cum oris ſpuma, nec prænumerata ſigna antecedentia affuêre, ſed eorum nonnulli valetudinarij, & plures pro omni externa apparentia ſani, ſubito extincti ſunt.

Ut ætiologiam hujus Subitanei morbi, qui omni ævo invaluit (nam nequaquam dicendus eſt morbus novus) exponam; ſanguinis tali morbo affectis venæ ſectione direpti vaſcula examinando, ut plurimum craſſus, fibroſus, tenax, viſcidus, & fero omnino orbatus, vel ejus (incraſſati ſatis) pauxillo perfuſus conſpicitur, cujus cauſa ſucco glanduloſo incraſſato, lymphæque vel haud prorſus à ſucco præfato ſeparatæ, vel in vaſculis incraſſatæ aſcribitur,

bitur, pro ſuppoſitis in Capite præcedente, adeo ut lymphæ redundanti, & exinde cum ſanguine miſcendæ in venas ingreſſus præcludatur.

Sanguis quapropter adeo ſiccus & viſcidus ob ſeri inopiam, cum *circulando* à corde per venam arterioſam in pulmones propellitur, atque ob tenacitatem & ſiccitatem ab arteria venoſa recipi nequit, neceſſario ſtagnare debet ad cor uſque, quod quamprimum à ſanguine ſtagnante obruitur, ſuffocatur quaſi, & pulſatio penitus inhibetur, unde ſubito viſcera omnia, totumque corpus, & præcipue cerebrum penitus refrigerantur, vaſa & minutiſſimi ejus ductus plane concidunt, atque hoc modo ſubitò mors inſtat.

Datur diverſus ab hoc modus, quo ſubito ſanguis ſtagnat, ſubitaque mors inſequitur. Veredos, itemque equos curſorios, poſtquam certatim currendo ſpatium quatuor milliarium anglicorum octo minutis vel circiter confecerint, ſubito in terram corruiſſe, moxque mortuos fuiſſe, crebro com-

pertum fuit. Quum motu isto violentissimo cor ingeminatis pulsationibus tantam sanguinis copiam per arteriam pulmonalem in pulmones propulerit, ut a vena pulmonali satis velociter recipi non potuerit; inde necessario arteria impense intumescere vel sanguis resilire debuit, quo cordis ventriculus dexter sanguine (arteria hujus recipiendi præ exuberanti plenitudine dum incapax fuerit) ad summum distensus nullum prorsus pulsandi motum subire potuit; quapropter sanguis in corde, & eodem instanti per universum corpus profusus stagnare, & mors ocyssime insequi debuerunt. Sane nemo adeo insulsus est, qui equos prædictos Apoplexia obiisse dixerit. Consimilis sanguinis *stagnatio*, inopinaque mors nonnunquam illis accidunt, qui nimio temeto se saturaverint. Frigidæ, lactisve *ebutyrati* potus succum glanduloſum, sanguinemque pulmonalem partium continuitate refrigerando, & inspissando, sæpius

pius *ſtagnationem*', mortemque adduxit.

Quid remedij his *ſtagnationum* generibus ſit afferendum, perpendamus. Utrique *Stagnationum* modo ſanguinis miſſionem, ſpatium amplius in vaſis ſanguineis efficiendo, è re futuram eſſe videtur, at ſi copioſiùs dematur, nimis viſcera totumque corpus refrigerabit; ſi parciùs profundatur, vix quicquam emolumenti ſanguini movendo præſtabit. Ergo menſura moderata, eaque bis terve brevi interpoſito tempore, at proportione diminutiore eſt ſubtrahendus ſanguis. Perſæpe tamen Phlebotomia incaſſum inſtituitur; cum plerumque ſero advenit medicus accerſitus, ſeriuſque Chirurgus. Rudi totius corporis agitatione, artuumque *dolorificis* contorſionibus, & frictionibus, à primo inſultus momento priori ſtagnantis ſanguinis ſpeciei (neutiquam poſteriori) multo magis profuerimus, atque ullo remedij genere. Itemque in utraque ſtag-

nationis ſpecie, poſt primam Phlebotomiam cucurbitulæ amplæ cum ſcarificationibus profundis, numero auctiore collo, ſcapulis, dorſoque applicitæ magnopere auxiliabuntur. Qui verò capillitio deraſo, capiti, artubuſve emplaſtra epiſpaſtica, priorive candentem ſartaginem à diſtanti admovent, riſu digni ſunt; quum iſta ſanguinem circa pulmones, & in corde ſtagnantem nullo modo afficiant. Crebro accidit, ut uno vel altero leviori *Stagnationis* inſultu patiens de diſcrimine lethalis *ſtagnationis* propediem inſecuturæ prænoncatur; hoc in caſu Phlebotomia, & medicamentis internis (in pharmacopolio tamen non proſtantibus) idoneis, debitoque rerum non naturalium regimine maximopere ſuppetias afferre medicus gnarus poterit. Iccirco patientis taliter prænoniti eſt, imminenti malo prævertere. Notatu dignum, animadvertendumque (ſi prima Phlebotomia, vel ad ſummum ſecunda nihil vel paululum profeceris) tertiam,

tiam, quartam, & quintam sanguinis *stagnationem* adaugere, quia per se omnis nimia sanguinis missio spiritus exhauriendo, sanguinem summopere refrigeret, incrassat & coagulet.

CAP. XXXIII.

De Lithiasi deceptiva *ceu falsa.*

SI ordine vago minusque methodice, quæ de morbis quibusdam concipiam, ista de lithiasi adjungam, ob rationem, qua Phænomena & assumpta eadem præmissa huic dilucidandæ nonnihil conferre mihi videantur, à lectore delicti veniam mihi concedendam puto.

Lithiasi laborare, assuetudine blæsa remediorum *præscriptores* quoscunque urinæ suppressione affectos pronunciant; quasi ejusmodi symptoma sanguinis grumo, pituitæ coagulo, tumoribus variæ speciei, aliisque causis partes lymphæ *Recrementitiæ*, seri exundantis, & aliarum fæcum saliumque secretioni, *deturbationi*, & retentioni in tempus debitum dicatas constipantibus nequaquam imputari debuerit. Porro & de parte affecta judicio crebrò vacillant isti, quandoquidem

quidem ignoranter vel defunctorie regulas vulgares diagnosticas applicando, renum vel ureterum emphraxi affectis causam in vesica existere; & vice versa, vesica morbo organico læsa, renes præternaturaliter affectos esse opinantur, conjectantque. Itaque ob hos ischuriæ modos deceptos, ac à medicis lithiaseos titulo perperam donatos, eam lithiasin *deceptivam* nominare, atque in hujus materiæ, scilicet causæ conjunctæ, cæterorumque ad ejus explicationem spectantium illustrationem, specimen unum vel alterum adducere lubuit.

Patricius quidam dignissimus Dominus R. Jenn. in pago H. commorans, quinquagenarius, temperamento laudato, viscerum fere omnium diathesi, nervisque admodum validus, & *Eusarcos*, anno præterito urinæ suppressione corripitur, taliter tamen, ut per vices urinæ aqueæ & turbidulæ, seri lactis haud dissimilis, sabulo omnino immunis, anxie com-

primendo, aliquantillum excernat. Hypogastrium molle, planum, æquale, & doloris omnimodi expers erat, neque vesicæ sphincteris *stimulationem* ullam, nec virgæ *erectionem*, nec glandis sensum *punctorium* (prout in lithiasi vesicæ vera) patiebatur. Nullum in hypogastricæ regionis imo pondus, nec stranguriam *dolorificam* subibat. Atqui circa lumborum regionem de dolore ingenti *gravativo* continuò conquerebatur. Cætera notatu (præterquam quod corporis exercendi ratione minime fuerit desidiosus; nam sæpissime vel Rheda sua vel equo vehebatur) minus digna prætereo. Accersitus venam, aliquantisper post enema laxativum injectum, ei tundendam consulo. Temporis intercapedinibus brevioribus plures è cassia, sennæ pulveribus compositis, & nonnullis salibus adjectis, bolos, interpositis per vices Apozematibus *specificis*, postmodum præcepi, quibus in tantum profectum fuit, ut urina coloratior mensura

ſura copioſiore debitis temporibus profluxerit, & lumborum dolor prorſus pene abactus fuerit. Atqui eheu, quid mali ominis accidit? Rebus ſic ſtantibus, die quodam dominico profeſſor medicinæ quidam in chirurgia *obſtetricia* communiter verſatus, à Nobili obſervantiæ & amicitiæ ergo ad patientem delegatus, è ſymptomatibus minus inveſtigatis, & morbo falsò ab ipſo apprehenſo, urinæ ſuppreſſionem à veſicæ calculo productam fuiſſe pronunciavit, atque ut ſe patiens ad civitatem L. mox vehendum curaret, conſuluit; ubi cathætere bis incaſſum abſque urinæ guttula unica emiſſa tentato, (conſultatione tamen cum equite quodam medico, alioque medicinarum *præſcriptore* anatomico habita) & in vino albo cæparum alliorumve decoctione fruſtra plurimis diebus aſſumpta, rudi per plateas inæqualibus lapidibus ſtratas rheda crebro & velociter vectus, nec non in laconico publico (*the Bagnio*) pluribus vicibus in ſu-

dores copiosos adactus urinæ profluvio *involuntario*, febri lenta, appetitu prorsus dejecto, & corporis habitu extenuato corripitur. Tandem ad aquas Bathonienses ablegatur, quibus plus minus per mensem absorptis domum revertitur, & sequenti post reditum die animam exhalat.

Fateri debeo, quod de professoris prædicti adventu tribus quatuorve antè horis certior factus fuerim à patientis filio à patre ad me misso, obnixè rogante, ut cum illo (decoris tantùm gratia, & in finem ut Nobili ex observantiæ debito morem gerere videatur æger) consultationem inire velim, promisso, patientem nullius præterquam mei ordinatis mandatisque obtemperaturum fore: At vox *consultatio* mihi in tantum semper fastidio fuit, atque etiamnum est, ut patienti (quodammodo invitus, nam virum digniſſimum summo honore & observantia prosequebar) prorsus valedixerim.

Quod

Quod ad morbi ætiologiam ſpectat, paucis perſtringam. E ſanguine (patienti phlebotomia deprompto) nè ſeri quidem guttula diluto mihi innotuit, lympham è ſucco glanduloſo neurinoque redandantem officioque defunctam in vaſculis craſſitie ſtagnare; quapropter & ſanguis in vaſis emulgentibus trans renes colandus, & *circulandus* ob ſummum lentorem, tenacitatem, ſiccitatem, ſerique inopiam in renibus obſiſti, detineri, & ſtagnare debuit, cujus pondere exortus eſt dolor iſte continuò *gravativus*. E ſuppoſitis præcedentibus capitibus traditis ſymptomatum cæterorum cauſa rationeſque elici poſſunt.

E dictis mihi apparet, inſulſiſſime effari, quod in caſu prædicto non fuerit ſeri ſeparatio in renibus, quandoquidem ſanguis ſero, quod ab eo ſepararetur, plane orbatus erat.

Urinæ profluvium præter voluntatem poſtmodum ortum procul omni dubio veſicæ ſphincteri a cathætere nimis

mis distenso, & Cæso, itemque vasculis nonnullis ruptis imputandum est. Etenim & ad alium accersitus patientem morbo eodem iisdemque symptomatibus ab eadem causa oriundis laborantem, simile urinæ profluvium à cathætere incaute & pessimo consilio adhibito partum fuisse animadverti.

Præmissis universalibus unicum tantum novi remedium, quod quicquam emolumenti hoc morbo affectis afferre potest.

Quum præ negotiis, mentis lassitudine, & de hujus generis subjectis tractandi tædio finem huic opusculo imponere cogar, solummodo de passione hysterica, hypochondriacaque nonnulla adjiciam.

Itaque notandum, symptomata hysterica ut plurimum eadem esse, quæ affectioni hypochondriacæ accidunt; causam, partesque affectas esse easdem; præterea partem primario affectam nequaquam, nisi perraro, esse lienem, quum sæpissime splen in morbo

morbo prædicto mediocriter ſanus deprehendatur; atqui meſenterii glandulas partes primario affectas, earumque ſuccum glanduloſum depravatum, nec non lympham earum *recrementitiam* cauſas eſſe hujus mali. Suppoſita ſuperius allata ſymptomatum horum omnium rationes ſatis commode ſuppeditant; atqui remedia à vulgariis longe diverſa medico ad hunc morbum ſunt adaptanda.

Præter cauſas affectaſque partes præfatas, nonnunquam ſuccus teſtium muliebrium, item glandularum utero accumbentium inſertarumque labe affectus in cauſa eſt.

Obſervandum adhæc paſſiones hyſtericas diuturnas ſævioreſque comitari febres quandoque interpolatas, & interdum continuas, prout rigores, ardores, ſudores, pulſus, urina aliaque ſymptomata atteſtantur, eaſque crebro chinchinæ exhibitione compeſcui.

Quæ

Adeout passio hysterica levis ceu hypochondriaca (at potius mesenterica) à fermentatione succorum prædictorum; sed gravis & in longius tempus protensa, sæpiusque adoriens, ex ebullitione succorum eorumdem ortum ducere mihi videatur, atque satius febris mesenterica, hypochondriaca, ceu hysterica, quam ejusmodi passio sit dicenda.

Quæ de podagra nonnullisque aliis morbis dicenda habeam, in aliud tempus differendum statuo: Itaque labore ulteriore impræsentiarum supersedebo.

F I N I S.

A lectore animadvertendum; ſc.

VErba plura italicis excuſa typis vel græca eſſe, vel artis medicæ & philoſophiæ terminos, vel non vere latina; veluti *deliteſcentia*, *emanatio*, aliaque, quæ vel literis italicis ſcripta ſunt, vel (ex incuria) ſcribi debuerant.

Errata quædam raptim legendo excuſa, vel typographi uſu & notitia authoris autographi carentis causâ irrepta, ſunt corrigenda, & legenda modo inſequenti.

P. 15. l. 2. *deliteſcentia*. p. 37. l. 9 *eſt vomes*. P. 17. l. 1. *antliarum*. p. 42. l. 14. emanatio p 87. l. 12. *noverca*. p. 69. l. 7. *impenſe præfatæ*. p. 69 l. 9. deleatur quod. p. 96. l. 10. *ut ſingulis*. p. 96. l. 23. *ut ipſi*. p. 136. l. 1. *præteritos*. p. 173. l. 15. *portum gratiæ verſus*, *ſimiliaque plura*.